AN. LXXXI SERIES VII FASC. IV. AN. 1956

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concili

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Arp.o Colossen. — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Promotor. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - XII - 1956.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

Acta Pii PP. XII.

CONSTITUTIO APOSTOLICA. Principia dantur et statuta generalia probantur, quibus informari regique debent ii qui vocati sunt ad statum acquirendae religiosae perfectionis amplectendum eorumque educatores. (Adn. PUGLIESE, A.). . . . . Pag. 551

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. Congregatio Rituum.

Parisien. *De prohibitione utendi lingua vulgari in Missa cantata* (Adn. ROMITA, F.). . . . . » 629

JURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE

Sacra Romana Rota.

Coram R. P. D. Dino STAFFA, Ponente. BRIXIEN. seu MEDIOLANEN, Nullitatis matrimonii. (*De metu indirecto*). Sententia diei 20 aprilis 1956. . . . . » 635
Coram R. P. D. Carolo LEFEBVRE, Ponente. Nullitatis matrimonii. (*Ob amentiam mulieris*). Sententia definitiva, diei 13 iulii 1956. » 647
Coram R. P. D. Pericle FELICI, Ponente. Nullitatis matrimonii (*Ob defectum scientiae de natura matrimonii*). Decisio diei 13 nov. 1956. . . . . » 651

STUDIA ET CONSULTATIONES

BENDER, L. Forma matrimonii extraordinaria, (C. 1098). . . . » 657
RUOTOLO, R. La Costituzione « Multum ad movendos animos » di Pio IX e la rinascita del Sodalizio Ceciliano in Germania ed in Italia. . . . . » 673

RECENSIONES

DISCORSI E RADIOMESSAGGI DI SUA SANTITÀ PIO XII - *XVII - Diciassettesimo anno di Pontificato 2 marzo 1956* - Tipografia Poliglotta Vaticana 1956, pp, V - 644. s. p. (PARISELLA, I.). . Pag. 695

QUESTIONI ATTUALI DI DIRITTO CANONICO - *Relazioni lette nella Sezione di Diritto canonico del Congresso internazionale per il quarto centenario della Pontificia Università Gregoriana - 13 - 17 ottobre 1953*, Romae 1955, pp. 496, s. p. (PARISELLA, I.). . . » 696

BESTE, U. Introductio in Codicem, Ed. IV. M. D'Auria, Napoli 1956, pag. 1097. (OESTERLE, G.). . . . . » 697

DOCUMENTA

Pii PP. XII. ALLOCUTIO: Iis qui interfuerunt Conventui sexto nationali e Clero Italiae, per hebdomadam Romae indicto, de hodiernis postulatis ac normis ad pastorale ministerium aptius provehendum. . . . . » 707

CHRONICA

Acta Pii PP. XII. - Acta SS. Congregationum. (***) . . . » 718

Index Generalis. Vol. LXXXI (1956) . . . . . » 725

Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS


Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1956_81_4

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

PRINCIPIA DANTUR ET STATUTA GENERALIA PROBANTUR, QUIBUS INFORMARI REGIQUE DEBENT II QUI VOCATI SUNT AD STATUM ACQUIRENDAE RELIGIOSAE PERFECTIONIS AMPLECTENDUM EORUMQUE EDUCATORES.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sedes sapientiae, Dei scientiarum Domini [1] Genetrix Apostolorumque Regina [2], sanctissima Virgo Maria, cuius venerationi integrum annum sacrum dicavimus, haud perperam Mater et Magistra peculiari ratione eorum omnium habetur, qui acquirendae perfectionis status amplectentes, apostolicam simul Christi summi Sacerdotis militiam agere contendunt. Huic enim tantae tamque excelsae vocationi religiosae scilicet simulque sacerdotali et apostolicae, instituendae et conformandae ut efficaciter incumbant, illius ductu et auxilio summopere egent, quae gratiarum omnium ad sanctificationem spectantium Mediatrix constituta est et catholici sacerdotii atque apostolatus Mater et Regina merito appellatur; cuius proinde favorem enixe imploramus, ut quae Nobis in hisce normis statuendis superni luminis Conciliatrix affuit, ipsa illis, quibus easdem ad effectum deducendi munus incumbet, patrocinio suo, Auxiliatrix adsistat.

I

Maximo enim Dei Providentis beneficio factum est, ut iugiter decursu saeculorum Christus Redemptor animis a se praedilectis, interiore ac quasi mystico sermone, invitamentum illud inspiraverit, quod iam voce viva adulescenti de vita aeterna interroganti porrexerat: *veni, sequere me* [3]. Continuo pariter non paucos ex his qui verbum istud, Deo dante, exceperint, atque non secus ac sancti Apostoli illud professi sunt: *ecce nos reliquimus omnia et secuti*

[1] Cfr. 1 Reg. 2, 3.
[2] Ex. Litan. Lauret.
[3] Mt. 19, 21.

sumus te [4], Dominus noster hominum fecit *piscatores* [5], et *operarios* [6] sibi delegit *in messem suam* mittendo.

Quod non minus hodie contingit atque olim, cum in dies frequentior ac penitior evaserit coniunctio statuum acquirendae perfectionis cum dignitate sacerdotali et munere apostolico. Etenim, dum antiquitus Monachi plerumque sacerdotio carebant et pauci inter eos ad illud suscipiendum quasi necessitate compulsi, ut populi scilicet ad christianam religionem converterentur, a propria Regula fere distrahebantur, dumque postea Mendicantes, etsi mirabili spiritu apostolico imbuti ad Sacerdotium non omnes Regula adigebantur, ipso sancto Patre Assisiensi eo minime aucto; Canonici Regulares e contrario et praecipue Clerici item Regulares, ex speciali divinitus accepta vocatione sacros Ordines recipiebant atque exercebant. Quod deinde innumerae imitatae sunt Congregationes et Societates vitae communis eodem titulo clericales. Quibus nunc accedunt, Deo semper singularum aetatum necessitatibus providente, nonnulla Instituta saecularia eademque clericalia.

Praeterea, in praesens apud ipsos quoque antiquiores Ecclesiae Latinae Ordines, non formaliter laicos nuncupatos [7], sodales omnes, iis exceptis qui coadiutores dicuntur seu conversi, sacerdotio destinantur, quod ceterum omnino requiritur in eis qui eorumdem Ordinum regimen assumunt.

Quapropter temporibus nostris turba magna fruitur Ecclesia ministrorum, qui simul et perfectioni ope evangelicorum consiliorum acquirendae et sacerdotalibus muneribus adimplendis incumbunt. Quorum virorum multitudo clerum constituit qui religiosus dicitur, iuxta quidem eum qui saecularis seu diocesanus appellatur, utrisque autem fraterna vigentibus ac florentibus aemulatione mutuoque fecundo auxilio, sub una eademque suprema Romani Pontificis auctoritate, incolumi sane Episcoporum potestate.

Iam vero omnibus compertum est clerum illum religiosum, ut duplicem proprium finem rite et secure assequatur, sapientissimis normis indigere, quibus eiusdem institutio ac conformatio sive religiosa sive clericalis et apostolica regatur et promoveatur.

Cui quidem necessitati hucusque magnopere satisfaciunt sin-

---

[4] Mt. 19, 27.
[5] Mt. 4, 19.
[6] Mt. 9, 38.
[7] Cfr. *C. I. C.* can. 488 4°.

gularum sodalitatum constitutiones seu statuta de iuvenibus instituendis aut de studiorum ratione moderanda; nec certe desunt hac de re S. Sedis praescripta et commendationes. Nihilo tamen minus iamdiu desiderantur ordinationes generales, rite coordinatae et magis completae, Auctoritate Apostolica fultae, ab omnibus et ubique servandae, ut tantum negotium, quod animarum boni summopere interest, in tuto collocetur ac perpetuo et congruo conatu feliciter evolvatur ac perficiatur.

Opus enim tam praecellens constantem ipsius Apostolicae Sedis vigilantiam requirit; quandoquidem, non secus ac scholae clericales dioecesanae, utpote publica in Ecclesia instituta, sub huius actuosa cura et iugi moderatione, per Sacram Congregationem Seminariis Studiorumque Universitatibus praepositam, exstant [8], eodem modo eodemque titulo propriae statum perfectionis scholae ab Ecclesia recognitae atque sancitae, publicae sunt, ac subsunt auctoritati Sacrae Congregationis Religiosorum Sodalium negotiis praepositae [9].

Quas ob plures rationes iam anno MCMXXXXIV in Sacrae huius Congregationis sinu Auctoritate Nostra Apostolica ratam habuimus « erectionem atque constitutionem... specialis Coetus seu Commissionis virorum idoneorum, quae omnes quaestiones ac negotia quavis ratione ad adspirantium et novitiorum iuniorumque sodalium cuiuslibet religionis ac societatis vitam communem viventium sine votis, religiosam et clericalem educationem atque in litteris scientiisque et ministeriis institutionem spectantia pertractet » [10].

Qui coetus ex diversarum quidem Religionum nationumque viris peritis constans, inspectis cunctis quae iam exstabant documentis ad rem pertinentibus, collectisque undique notitiis ad normam Litterarum Circularium ad omnes Supremos Moderatores datarum [11], opus ingens iam extruxerat, cum indictus est Congressus generalis statuum perfectionis anni MCML. Variis postea opportunis propositionibus in eodem prolatis usus, schemata iam parata ad

---

[8] Cfr. *C.* I. *C.* can. 256.

[9] Cfr. *C. I. C.* can. 251 : Pius XII, Const. Ap. *Provida Mater*, art. IV § 1, 2 febr. 1947, *A. A. S.* 39 (1947), 121 (*Enchiridion de statibus perfectionis*, Romae, 1949, n. 387, p. 584).

[10] S. C. de Religiosis, Decr. *Quo efficacius*, 24 ian. 1944, *A. A. S.* 36 (1944), 213 (*Enchiridion*, n. 381, pag. 560).

[11] S. C. de Religiosis, Litt. circ. *Quantum conferat*, 10 iun. 1944 (*Enchiridion*, n. 382, p. 561-564).

trutinam revocavit et expolivit, quae denique Nostrae submissa sunt adprobationi.

Nunc igitur non pauca edicimus Statuta, praemissis tamen quibusdam fundamentalibus principiis et normis de religiosa, clericali atque apostolica alumnorum institutione et formatione, semper et ab omnibus prae oculis habendis.

II

Et primo quidem totius vitae sive religiosae, sive sacerdotalis et apostolicae fundamentum, quod divina vocatio appellatur, duplici veluti essentiali elemento constitui neminem ignorare volumus, divino scilicet altero, altero autem ecclesiastico. Ad primum vero quod attinet, Dei vocatio ad statum sive religiosum sive sacerdotalem ineundum tam necessaria dicenda est, ut si deficiat, ipsum fundamentum, quo totum nitatur aedificium, deficere dici debeat.

Quem enim Deus non vocat, gratia eius non movet nec adiuvat. Ceteroquin, si vera ad quemlibet statum vocatio eatenus divina quodammodo dicenda est, quatenus omnium statuum omniumque sive naturalium sive supernaturalium dispositionum donorumque principalis auctor ipse est Deus; quanto magis dici et esse debet religiosa et sacerdotalis vocatio, quippe quae tam sublimi fulgeat celsitudine, tot tantisque naturalibus et supernaturalibus ornamentis cumuletur, ut nonnisi a *Patre luminum*, a quo *omne datum optimum et omne donum perfectum*, descendere possint? [12].

Nunc vero, ut ad alterum vocationis religiosae et sacerdotalis elementum gressus fiat, docente Catechismo Romano, *vocari a Deo dicuntur, qui a legitimis Ecclesiae ministris vocantur* [13].

Quod nedum iis quae de divina vocatione diximus, contradicat, arctissime potius cohaeret. Divina enim ad religiosum et clericalem statum vocatio, utpote qua quis in Ecclesia, societate scilicet visibili atque hierarchica, ad vitam sanctificationis publice ducendam et ad ministerium hierarchicum exercendum destinetur, a moderatoribus quoque hierarchicis, quibus Ecclesiae regimen divinitus commissum est, ex auctoritate comprobari, admitti atque regi debet.

Quod quidem omnes attendant oportet, quotquot huius generis

---

[12] Cfr. Iac. 1, 17.

[13] *Catech. Rom. ad Parochos*, cura Pii V editus, pars. II, cap. 7.

vocationibus colligendis et probandis incumbunt. Neminem proinde umquam quovis modo ad statum sacerdotalem vel religiosum cogant [14], neve ullum alliciant vel admittant, qui vera divinae vocationis signa reapse non praebeat; item ad ministerium clericale neminem promoveant, qui se religiosam solummodo vocationem divinitus recepisse demonstret; neve eos qui hoc quoque donum a Deo habuerint, ad saecularem clerum coartent aut distrahant; neminemque tandem a sacerdotali statu avertant, qui divinitus ad illum vocari certis signis dignoscatur [15].

Manifestum est enim in iis, qui ad clericalem militiam in perfectionis statu agendam adspirant et pro quibus hae normae statuuntur, una simul omnia convenire debere quae multiplicem huiusmodi vocationem religiosam, sacerdotalem et apostolicam constituendam requiruntur, omnesque proinde dotes et qualitates, quae ad haec Dei munera adeo excelsa adimplenda necessariae aestimantur, in iisdem inveniri oportere.

III

Porro vocationis divinae germina qualitatesque ad eandem requisitas, ubi adsint, educatione atque formatione indigere, qua evolvantur et maturescant, omnibus compertum est. Nihil enim ubi primum nascitur, statim perfectum apparet, sed gradatim proficiendo perfectionem acquirit. Qua in evolutione moderanda, omnium sive eius qui divinitus vocatus est, sive locorum et temporum conditionum ratio habenda est, ut finis praestitutus efficaciter attingatur. Iuniorum itaque sodalium educatio et efformatio omnino secura, illuminata, solida, integra, sapienter et audacter hodiernis sive internis sive externis necessitatibus accommodata, adsidue exculta vigilanterque probata sit oportet, non ad religiosae solummodo, sed ad sacerdotalis quoque et apostolicae vitae perfectionem quod attinet.

Quae omnia, ut experiendo novimus, nonnisi probati ac selecti viri prae se ferre possunt qui, non modo doctrina, prudentia, discretione spirituum, variaque rerum et hominum experientia aliisque humanis dotibus emineant, verum etiam Spiritu Sancto sint pleni

---

[14] Cfr. *C. I. C.* can. 971.

[15] Ibid.

atque sanctitate omniumque virtutum exemplo iuvenibus praefulgeant, quippe quos in toto institutionis negotio magis virtute et recte factis [16] quam dictis trahi compertum sit.

Hoc vero in gravissimo munere explendo educatoribus prima regula sit, quam Dominus enuntiavit in Evangelio dicens: « *Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis... Ego sum pastor bonus et cognosco meas et cognoscunt me meae* » [17], quamque divus Bernardus hisce verbis expressit: « *discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari, quam metui* » [18]; atque ipsum Tridentinum Concilium Ecclesiasticos Moderatores saepissime adhortans, « *illud primum eos admonendos censet, ut se pastores, non percussores esse meminerint, atque ita praeesse sibi subditis ut non eis dominentur, sed illos tamquam* Filios et Fratres *natu minores diligant: elaborentque ut, hortando et monendo, ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos poenis coërcere cogantur. Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab iis servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent, in omni bonitate et patientia: cum plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem, virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est: ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur, et qui correcti fuerint emendentur, aut, si resipiscere noluerint, caeteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur* » [19].

Meminerint insuper omnes, quotquot sodalibus instituendis quavis ratione praesunt, huiusmodi educationem et formationem organica progressione et omnibus pro opportunitate aptis opibus et rationibus adhibitis impertiendam esse, totumque hominem sub omnibus suae vocationis aspectibus amplecti debere, ut reapse eum omni ex parte effingat « *hominem perfectum in Christo Iesu* » [20]. Ad opes autem rationesque institutionis quod attinet, manifestum est ea quae ab ipsa natura et humana huius quoque temporis inquisitione sup-

---

[16] Cfr. *C. I. C.* can. 124.
[17] Io. 10, 11-12. 14.
[18] *In Cantica, Sermo 23*, Migne, *P. L.* 183, 885 B.
[19] Cfr. *C. I. C.* can. 2214 § 2; Conc. Trid., sess. XIII, *de ref.*, cap. 1.
[20] Col. 1, 28.

peditantur, si bona sint, minime spernenda esse, immo magni facienda et sapienter admittenda; nullus tamen error eo peior est, quo quis in tam lectis alumnis conformandis, rationibus huiusmodi naturalibus solum vel nimis immixus, supernaturalis ordinis instrumenta opesque postponit aut quacumque ratione neglegit, quandoquidem ad religiosam et clericalem perfectionem apostolicis cumulatam fructibus assequendam, supernaturales opes, ut sacramenta, oratio, mortificatio, aliaque id genus, non necessaria solummodo, sed primaria et essentialia omnino sunt.

Quo tamen rationum atque operum ordine servato, nihil prorsus neglegatur, quod ad corpus animumque perficiendum, ad omnes naturales virtutes excolendas, et ad integram humanitatem viriliter conformandam quolibet modo conferat, ita ut supernaturalis deinde sive religiosa sive sacerdotalis institutio huic solidissimo inhaereat naturalis honestatis excultaeque humanitatis fundamento [21], siquidem hominibus eo facilior securiorque ad Christum via patet, quo in sacerdotis persona evidentior ipsis appareat « *benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei* » [22].

Verum, quamquam magni ab omnibus facienda est religiosi cleri humana naturalisque institutio, primum tamen procul dubio locum in toto formationis curriculo obtinet supernaturalis animae sanctificatio. Nam si de omni christiano monitum Apostoli valet testantis: « *Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra* » [23], quanto magis ad id tenetur, qui, non modo sacerdotio est auctus, sed ipsam perfectionem evangelicam sibi acquirendam publice professus est, immo suo ipsius munere adeo ceterorum sanctificationis instrumentum constituitur, ut ab eius sanctitate ipsa animarum salus et regni Dei incrementum non parum pendeat?

Meminerint igitur omnes statuum perfectionis evangelicae acquirendae sodales, atque frequenter coram Deo recogitent, sibi non sufficere ad officium suae professionis implendum peccata sive gravia, sive etiam, Deo auxiliante, venialia vitare, neque materialiter solummodo exsequi Moderatorum praecepta, aut etiam vota seu vincula quibus conscientia adstringatur, vel proprias quoque constitutiones, secundum quas, ipsa Ecclesia in sacris canonibus praeci-

---

[21] Cfr. *Phil.* 4, 8.
[22] Tit. 3, 4.
[23] *1 Thess.* 4, 3.

piente, « *omnes et singuli religiosi, Superiores aeque ac subditi, debent... vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere* » [24]. Haec enim omnia pleno animo flagrantique amore agant oportet, non tantum ex necessitate, *sed etiam propter conscientiam* [25], quandoquidem, ut in sanctimoniae culmina ascendere, utque vivos christianae caritatis fontes sese omnibus praebere valeant, incensissima erga Deum et proximos caritate flagrare atque omni virtute ornati esse debent.

IV

Ubi autem huic animae sanctificationi provisum sit, accuratissima quoque religiosi cleri sive intellectualis sive pastoralis institutio curanda erit, de qua pro rei momento et supremi Nostri officii conscientia paulo fusiora principia proponere et commendare volumus.

Quanta enim sit istis religiosis sodalibus necessitas solidae eiusdemque numeris omnibus absolutae institutionis et formationis intellectualis, ex triplici praesertim qua in Dei Ecclesia dignitate praefulgent, scilicet religiosa, sacerdotali et apostolica, aperte colligitur.

Religiosi enim viri, quibus hoc praecipuum officium incumbit, ut nempe Deum unice requirentes eique adhaerentes divina contemplentur, aliisque tradant, meminerint se nullatenus hoc sanctissimo munere rite ac fructuose fungi posse et ad sublimem cum Christo coniunctionem efferri, si copiosa illa destituantur, quae e sacris doctrinis hauritur, Dei eiusque mysteriorum profunda et indesinenter perficienda cognitione [26].

Sacerdotalis vero dignitas, qua qui fulget Domini scientiarum [27] legatus constituitur atque *sal terrae* et *lux mundi* peculiari ratione appellatur [28], plenissimam ac solidam exigit in ecclesiasticis praesertim disciplinis institutionem, eiusdem scilicet quae ipsius sacerdotis spiritualem vitam nutrire atque fulcire valeat eumque a quo-

---

[24] Cfr. *C. I. C.* can. 593.

[25] *Rom.* 13, 5.

[26] Cfr. Pius XI, Ep. ap. *Unigenitus Dei Filius,* 19 mart. 1924. *A. A. S.* 16 (1924), 137-138 *(Enchiridion,* n. 348, p. 403-404).

[27] Cfr. 1 Reg. 2, 3.

[28] Cfr. Mt. 5, 13-14.

vis errore aberrantique novitate immunem servare; quae insuper eum reddat fidelem *mysteriorum Dei* dispensatorem [29] et perfectum hominem Dei *ad omne opus bonum instructum* [30].

Apostolicum denique munus, quod pro sua quisque vocatione, statuum perfectionis sodales in Ecclesia exercent, sive sacris ad populum contionibus, sive puerorum et iuvenum christiana institutione, sive sacramentorum praesertim paenitentiae administratione, sive sacris ad infideles expeditionibus, sive animarum in vita spirituali moderatione, sive tandem in ipsa cum populo cotidianae vitae consuetudine, uberiores eosque perpetuo mansuros fructus producere minime poterit nisi ipsi sacram doctrinam plane cognitam et studio numquam intermittendo penitus perspectam habeant.

Ad quam solidam et absolutissimam intellectus institutionem et formationem, pro naturali iuvenum progressione studiorumque distributione, assequendam, curent imprimis religionum Moderatores omni adhibita industria ut litterarum doctrinarumque cognitione religiosi alumni « *iis nihil saltem cedant qui e laicis iuvenibus pari sint disciplinae auditores. Hoc namque si cautum fuerit, et ut discipulorum mentes severius expoliantur, et ut facilius eorum habeatur suo cuiusque tempore dilectus* » [31], et etiam ut iidem alumni ad ecclesiasticas disciplinas altius addiscendas praeparentur aptisque instruantur subsidiis cautum sane erit.

In disciplinis autem sive philosophicis sive theologicis per idoneos solummodo accurateque selectos magistros tradendis sanctissime ea omnia serventur quae a sacris canonibus et a Nostris Decessoribus aeque ac a Nobis ipsis praescripta sunt, de debita praesertim Magisterio Ecclesiastico reverentia atque omnimoda fidelitate semper et ubique profitenda et discipulorum mentibus animisque instillanda, de prudentia et cautela quae semper socianda est cum diligentissima eaque maximopere commendanda pervestigatione novarum, quae progrediente aetate exsurgunt, quaestionum, deque Angelici Doctoris ratione, doctrina et principiis sancte tenendis atque in philosophica et theologica alumnorum institutione omnino sequendis [32].

---

[29] Cfr. *1 Cor.* 4, 1-2.

[30] Cfr. *2 Tim.* 3, 17.

[31] Pius XII, Adhort. ap. *Menti nostrae*, 23 sept. 1950, *A. A. S.* 42 (1950), 687.

[32] Pius XII, Litt. enc. *Humani generis*, 12 aug. 1950, *A. A. S.* 42 (1950), 573. 577-578; *C. I. C.* can. 1366.

Aquinate autem duce et magistro, theologia methodo positiva simul et scholastica, quae dicitur, tradatur, ita nempe ut, praelucente authentico Magisterio, Divinae Revelationis fontes accuratissime congruisque subsidiis adhibitis perscrutentur indeque hausti veritatis thesauri clare exponantur et efficaciter vindicentur. Cum enim Revelationis depositum soli Ecclesiae Magisterio authentice interpretandum commissum sit, non ratione mere humana et privato iudicio, sed iuxta sensum et ad mentem ipsius Ecclesiae fidelissime explicandum est. Sciant igitur christianae philosophiae et theologiae magistri se non proprio iure ac nomine, sed nonnisi supremi Magisterii nomine et auctoritate ac proinde sub eius vigilantia et moderatione, a quo canonicum veluti munus acceperunt, suo ministerio fungi; quapropter, salva quidem de iis quae disputationi adhuc subsunt iusta opinandi libertate, « *probe meminisse debent non idcirco sibi factam esse potestatem docendi, ut sua opinionum placita cum alumnis disciplinae suae communicent, sed ut iis doctrinas Ecclesiae probatissimas impertiant* » [33].

Omnes praeterea, tum magistri tum discipuli, prae oculis semper habeant studia ecclesiastica non ad intellectualem solummodo institutionem, sed ad integram et solidam sive religiosam, sive sacerdotalem et apostolicam formationem spectare: ideoque non ad scholarum tantummodo periculum superandum dirigenda esse, sed ad quandam quasi formam alumnorum animis imprimendam, quae nunquam elabatur, et ex qua, cum usus postulabit, lumen atque robur pro suis aliorumque necessitatibus semper hauriant [34].

Ad quod assequendum, sit imprimis intellectualis instructio arcte cum precationis studio divinarumque rerum contemplatione coniuncta; sit deinde plena, nulla ex praescriptis disciplinis parte praetermissa, cohaerens insuper sit omnique ex parte ita composita et integra, ut disciplinae omnes in unum dumtaxat systema idque solidum et apte temperatum conspirent; sit quoque nostrorum temporum erroribus refellendis ac necessitatibus iuvandis sapientissime aptata; itemque sit recenter inventis instructa ac simul venerandae traditioni apprime consonans; sit denique ad pastoralia cuiusvis generis munera fructuose obeunda efficaciter ordinata, ita quidem

---

[33] S. Pius X, Motu pr. *Doctoris Angelici*, 29 iun. 1914, *A. A. S.* 6 (1914), 338 (*Enchiridion*, n. 284, p. 336.

[34] Cfr. Pius XII, Sermo ad alumnos, 24 iun. 1939, *A. A. S.* 31 (1939), 246 (*Enchiridion*, n. 373, p. 531).

ut qui futuri sunt sacerdotes, ea instructi, expedite et accurate valeant sanam doctrinam cum rudibus tum doctis in concionibus et catechesibus proponere ac tueri, rite sacramenta administrare, animarum bonum actuose promovere omnibusque verbo et opere prodesse.

Quamvis autem ea omnia quae de spirituali et intellectuali alumnorum institutione hucusque diximus ad viros vere apostolicos effingendos maximopere conferant et plane requirantur, ita ut si debita sanctitas et scientia sacerdoti desint, omnia ei deesse compertum sit; gravissimo tamen officio Nostro ut obsequamur, addere hic debemus, praeter sanctitatem et scientiam congruentem, ad apostolicum ministerium rite implendum omnino postulari in sacerdote accuratissimam et omni ex parte perfectam pastoralem praeparationem, eam scilicet, qua vera peritia et dexteritas in multiplicibus christiani apostolatus muneribus rite obeundis gignatur et efformetur.

Si enim suae cuique arti exercendae diligens praehaberi solet sive theoretica, quae dicitur, sive technica, sive practica eaque diuturno tirocinio firmata praeparatio, parem immo multo accuratiorem et altiorem formationem qui praehabendam esse neget illi, quae non immerito ars artium appellatur?

Haec vero pastoralis alumnorum conformatio, ab ineunte studiorum curriculo inchoanda, progrediente vero aetate gradatim perficienda, absoluto tandem theologico curriculo per peculiare tirocinium consummanda, pro suo cuiusque religiosi instituti finem, ad hoc imprimis contendere debet, ut ii qui Christi futuri sint ministri et apostoli, ad ipsius Christi formam spiritu et virtutibus apostolicis solide et penitus imbuantur et exerceantur, ardenti scilicet et purissimo provehendae Dei gloriae studio, actuosa et flagranti in Ecclesiam eiusque iura tuenda et doctrinam retinendam provehendamque caritate, incensissimo animarum salutis procurandae zelo, supernaturali in loquendo et operando prudentia cum evangelica simplicitate coniuncta, humili sui abnegatione et obsequentissima Moderatoribus subiectione, firmissima Dei fiducia et acuta sui officii conscientia, virili in negotiis suscipiendis sollertia atque in coeptis prosequendis constantia, sedula in officiis obeundis fidelitate, atque magno ad fortissima quaeque patienda et faciendo animo, christiana denique, quae omnes alliciat, amabilitate atque humanitate.

Ad aliud praeterea in pastorali institutione tradenda contendendum est, ut scilicet, pro studiorum gradu atque progressione, iis

omnibus disciplinis alumni instituantur, quae ad « *bonum militem Christi Iesu* »[35] omni ex parte efformandum aptisque apostolicis armis locupletandum omni ope conferre possint. Praeter igitur philosophica et theologica studia ad pastoralem quoque actionem opportune, ut diximus, ordinanda, necesse omnino est ut futuris dominici gregis pastoribus per peritos magistros et ad huius Apostolicae Sedis, normas tradatur ea de rebus psychologicis et paedagogicis, didacticis et catecheticis, socialibus et pastoralibus aliisque id genus eruditio, quae harum disciplinarum hodierno progressui respondeat, quaque illos multiplicibus nostrorum temporum apostolatus necessitatibus idoneos paratosque efficiat.

Quam doctrinalem de re apostolica institutionem et formationem, ut usu et experientia firmetur, practica quoque, quae dicitur, per gradus sapienter progrediens prudenterque moderanda exercitatio comitetur oportet, quam peculiari deinde post adeptum sacerdotium tirocinio peritissimis viris sive doctrina sive consilio et exemplo moderantibus, exercendam et perficiendam esse volumus, et studiis sacris numquam intermissis, continuo solidandam.

Postquam haec praemisimus summa principia, quibus sive institutionis opus, sive educatores et educandi informari regique debent, iam generales normas circa singula gravissimi negotii capita, omnibus mature perpensis, certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine decernimus atque statuimus ab omnibus, ad quos pertinent, servari. Sacrae Congregationis de Religiosis potestatem insuper facimus Nostra Auctoritate per ordinationes, instructiones, declarationes, interpretationes aliaque id genus documenta, Statuta Generalia, iam a Nobis probata, ad effectum adducere omniaque illa peragere, quae ad Constitutionem atque Statuta Ordinationesque fideliter observanda spectant.

Contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiari etiam mentione dignis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die trigesimo primo mensis Maii anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo sexto, B. V. Mariae mundi Reginae sacro, Pontificatus Nostri decimo octavo.

---

[35] *2 Tim.* 2, 3.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.*, vol. 48, pag. 354-365).

ADNOTATIONES *

Historica praeliminaria

1. Decreto *Quo efficacius*, 24 ian. 1944 [1], Sacra Congregatio de Religiosis, auctoritate Apostolica ex Audientiis suffulta, specialem Coetum seu Commissionem virorum idoneorum erigebat atque constituebat, « quae omnes quaestiones ac negotia quavis ratione ad adspirantium et novitiorum iuniorumque sodalium, cuiuslibet religionis ac societatis in communi viventium, sine votis, religiosam et clericalem educationem atque in litteris scientiisque et ministeriis institutionem spectanta pertractet » [2].

Specialis igitur huius Commissionis officium erat definire ac delineare criteria cardinalia et peculares notas, quibus educatio et institutio clericorum sodalium Statuum Perfectionis duci iugiter debet, et in iis omnibus quae ad disciplinam simul et institutionem alumnorum religiosorum pertinent, opportune invigilare, tempestivis aptisque instructionibus providere, maiorem efficaciam conferre. Qua re, muneri tam ardue incumbens, Commissio imprimis considerate duxit Romani Pontificis sollemne mandatum a. 1909 ad effectum deducere. Mandaverat namque Sanctitas Sua, « ut... Sacra Congregatio, exquisito ab omnibus Moderatoribus Generalibus elencho disciplinarum, quae singulis annis scholasticis seu academicis adsignatae sunt in respectiva religiosa Familia, una cum tabulis horariis singularum scholarum aliisque opportunis informationibus, *instructionem* de studiis apud clericos Ordinum et Institutorum religiosorum rite et integre peragendis praeparet... probante Summo Pontifice, publici iuris faciendam » [3].

2. Inde, praeside Exc.mo Secretario S. Congregationis, sub ductu Rev.mi Subsecretarii, qui postea in Secretarium nominatus etiam praeses Commissionis fuit, adlectis auctoritate Apostolica primis 12 Commissariis [4], quibus immediate accesserunt nonnulli technici

---

* Textus Statutorum Generalium prostrat apud S. C. de Religiosis.

[1] Cfr. AAS., XXXVI (1944) 213-214; *Enchiridion de Statibus Perfectionis*, n. 381.

[2] Ibid., l. c.

[3] S. C. de Rel., *Declarationes « In articulo »*, 7 sept. 1909 AAS. I (1909) 701-704; *Ench. de Stat. Perf.*, n. 260.

[4] Nomina Commissariorum, ex diversis nationibus et tendentiis et experientiis scholarum Religionum, Societatum, Institutorum opportune Apostolica auctoritate inter magis idoneos selectorum, haec sunt: Rev.mi PP. Agathangelus a Langasco,

Consultores, Commissio varia documenta paravit quae viam optime straverunt ad laborem rite ordinandum.

Inter ea primatum facile obtinent Litterae Circulares *Quantum conferat*, 10 iun. 1944 [5], Superioribus Generalibus datae, cum adnexo elencho quaestionum circa statum studiorum et formationis eorum subditorum.

His litteris abundantes responsiones et communium votorum interpretes praestiterunt legislationem scholarem Statuum perfectionis esse nova quadam ratione tandem aliquando ordinandam atque ad unitatem pro posse redigendam, et ingentem molem notitiarum praebuerunt ut propria rectaque directio laboris Commissioni pateret.

3. Hinc brevi Primum Schema Instructionis prodiit a. 1944, quod rite a Commissariis et Consultoribus, requisito quoque voto plurimorum expertorum ex diversis regionibus atque Religionibus et Institutis, examinatum fuit. Noviter deinde elaboratum Schema iterum a. 1945 Commissariis, Consultoribus et expertis praesentatum fuit. Hoc alterum Schema iam duplici constabat parte: agebat enim distincte de formatione et de institutione alumnorum.

Criteria generalia, quibus inspirabatur, haec erant, summatim:

1) Imprimis sollemniter denuo affirmabatur competentia propria Sacrae Congregationis de Religiosis (c. 251 § 1) in hac materia, et directe respiciebantur studia et formatio religiosa et intellectualis clericorum sodalium Statuum perfectionis, remissive agendo etiam de fratribus laicis.

2) Intra ambitum Motu proprii *Cum Iuris Canonici*, 15 sept. 1917 [6], Instructio applicabat et extendebat ius commune (cfr. c. 589 § 1), ius particulare complebat, varias praxes temporum et locorum et personarum adiunctis accommodabat et harmonice componebat; ita ut non solum videretur, sed esset re vera Instructio instrumentum solidum, quo integrum opus formationis candidatorum ad sacerdotium opportune dirigeret in ea peculiari vita perfectionis quam singuli sibi optaverant; formationis, inquam, civilis, religiosae, paedagogicae, asceticae, sacerdotalis, apostolicae. Inde gradus et tempora formationis seu probationis religiosae atque institutionis

---

OFMCap., qui primus etiam secretarius extitit totius Commissionis, Antonelli Ferdinandus, OFM., Beste Uldaricus, OSB., Creusen Iosephus, SI., Damen Cornelius, CSSR., Garrigou-Lagrange Reginaldus OP., Goyeneche Servus, CMF., Herman Aemilius, SI., Perbal Albertus, OMI., Pugliese Augustinus, SDB., Quatember Matthaeus, S. O. Cist., Roschini Gabriel, OSM.

[5] Cfr. *Ench. de Stat. Perf.*, n. 382.

[6] Initio Codicis Iuris Canonici; AAS., IX (1917) 483 s.

clericalis distinguebat, omnia ad actualem praxim et ad necessitates hodiernas apprime reducendo et accommodando.

3) Studia apud Status Perfectionis peracta publica sunt et publica ratione peragi debent ideoque talia praecise recognoscebantur, et simul clericalia et religiosa, quae, sub ductu et vigilantia S. Congregationis de Religiosis compleri debent ac studiis formationis et institutionis ad apostolatum perfici et integrari.

4) Quilibet clericalis Status perfectionis proprium ius particulare (statuta, regulationes, ordinationes, praxis, traditiones, consuetudines) de formatione et studiis ad formam codicis reducere debebat, illud harmonice cum nova legislatione componendo.

Huiusmodi Schema secundum, iterum perpolitum, pro-manuscripto publici iuris tertio factum est a. 1946.

Illud revera, post praeliminaria, tres partes continebat, quae distincte agebant: I. De alumnorum probatione (de cooptatione, de tirocinio probationis et formationis, de sedibus probationis, de moderatoribus et magistris); II. De alumnorum institutione (de institutione morali et spirituali, intellectuali et pastorali); III. De probatione et institutione fratrum laicorum. Haec ultima pars merito omissa est in Schematibus posterioribus et in Statutis generalibus, quae tantum de formatione religiosa clericali agunt.

4. Ex historica inquisitione opportunum visum est Apostolica documenta ad rem pertinentia sive a Summis Pontificibus sive a Sacris Congregationibus, praesertim a S. Congregatione Ep. et Reg. et postea a S. Congregatione de Religiosis provenientia simul colligere et in unum ordinare, *nova collectanea S. Congregationis de Religiosis* inchoando. Et a. 1949 horum Collectaneorum Primum Volumen prodiit « documenta Ecclesiae sodalibus instituendis » continens, cui titulus: *Enchiridion de Statibus perfectionis* [7]. Quod Primum Volumen, criteriis revera chronologicis, in unum simul colligit quidquid sive Romani Pontifices, sive Curia Romana in sphaera religiosae formationis atque institutionis emanaverant, quod in compilationem Codicis iuris canonici et in actualem praxim aliquod habuit vel habet influxum.

---

[7] Revera, Commissio de studiis, statim ac arduam illam quaestionem de studiis clericorum sodalium Statuum perfectionis reordinandis adgressa est, de colligendis documentis ab Ecclesia per saecula hac de re latis cogitavit, ut ex iure iam prolato, sed plerumque obsoleto, normam traheret ad novum ius efformandum. Et iam a. 1944 huius collectionis imperfectum schema prodiit quod, ad trutinam Commissariorum et Consultorum revocatum, iterum, aliquantulum expolitum, a. 1946, publici iuris pro-manuscripto factum est, donec definitive, ad venustiorem statum redditum, a. 1949 editum fuit.

5. Interea, per Subcommissiones, peculiaris materia Instructionis, ad lucem collectorum documentorum, ad trutinam revocabatur [8].

Ita criteria generalia expressa sunt, ne Instructio mentem et ambitum Motuproprii *Cum Iuris Canonici* [9] excederet:

1) Prae primis, nova legislatio se extendere debebat, congrua congruis referendo, praeterquam ad Religiones, etiam ad Societates vitae communis [10] et ad Instituta saecularia nuper in Ecclesia canonice recognita [11].

2) Problemata educationis et formationis a problematibus institutionis scholaris inscindibilia considerata sunt. Gradus igitur formationis religiosae (nempe: adspirantatus, novitiatus, prima professio temporaria et subsequentes, professio perpetua et incorporatio definitiva et tertia probatio) harmonice amico foedere ac temporibus accommodati, cum gradibus formationis clericalis (in praeparatione remota et proxima ad Ordinationes, et in susceptione sacrorum Ordinum) et institutionis intellectualis (nempe: curriculum elementarium, medium-classicum, philosophicum, theologicum et pastorale) componendi erant, ita ut unitatem redirent et formatio religiosa et formatio clericalis, cum una sit vocatio religiosa clericalis [12].

3) Scholae insuper cuiuscumque gradus apud Status perfectionis existentes *publicitatis* praerogativa gaudent, non secus ac scho-

---

[8] Subcommissiones 5 fuerunt: 1) *iuridica*, cuius erat et generalem ordinem in Instructione curare, sive quoad institutionem clericalem sive quoad formationem religiosam, et ad verborum proprietatem apprime attendere ut iuridicus esset sermo, et conceptus ac dispositiones ad iuridicam concinnitatem et praecisationem exprimerentur; 2) *scholastica*, quae scientifice et paedagogice criteria expromeret circa curriculum scholarum, ordinem disciplinarum tradendarum et rationem seu methodum docendi; 3) *academica*, quae de praeparatione et habilitate technica docentium pro scholis internis institutorum dissereret, praesertim de requisitis technicis ad docendum, ut de gradibus academicis aut titulis internis aequiparatis vel aequiparandis; 4) *formativa*, cuius erat varia problemata ordinis moralis et spiritualis adgredi, ut de genuino sensu vocationis religiosae, sacerdotalis et apostolicae, de directione spirituali, de confessione sacramentali, de educatione et formatione clericali, de tirocinio pastorali, et similia; 5) *monastica*, quam peculiaria consideraret status Canonicorum Regularium et Monachorum in ordine ad efficacem applicationem novae legislationis.

[9] Videsis not. 6.

[10] Cfr. cc. 673-681.

[11] Const. Ap. *Provida Mater Ecclesia*, 2 febbr. 1947, AAS. XXXIX (1947), 114-124; *Ench. de Stat. Perf.*, n. 387.

[12] Cfr. Clemens VIII, Const. Ap. *Cum ad regularem*. 10 mart. 1603 (*Ench. de Stat. Perf.* n. 132); PIUS IX, Enc. *Ubi primum*, 17 iun. 1847 (*Ench. de Stat. Perf.* n. 187); S. C. de Relig. Decr. *Quo efficacius*. 24 ian. 1944 (*Ench. de Stat. Perf.*, n. 381.

lae seminariorum dioecesanorum. Inde necessitas peculiarium normarum etiam quoad disciplinas profanas aut non stricte ecclesiasticas, ita ut eruditio scholaris religiosum efformet sacerdotem pium et doctum et apostolum zelo animarum ardentem. Inde quoque necessitas interventus S. Sedis in erigendis, ordinandis, regendis, invigilandis scholis apud Status perfectionis existentibus, sive quoad formationem religiosam et asceticam sive quoad institutionem scholarem.

4) Diu disputatum est in Subcommissionibus circa minimum et maximum numerum scholarum et lectionum per annum scholasticum distribuendarum; iuxta enim variam experientiam variosque usus per diversas Regiones Orbis, aut excessive parvum videbatur tempus novem mensium pro anno scholastico aut quoque abnormiter longum.

Circa methodum docendi, generatim praescripto Codicis (c. 1366 § 2) adhaeserunt Commissarii, addita clausula ut liberum quoque esset aliis etiam modernis optime inventis et ab Ecclesia saltem probatis opportune uti.

5) Ex Superiorum Generalium responsionibus ad Litteras Circulares 10 iunii 1944 datis, quam varia praxis vigeat apud diversos Status perfectionis magistros pro scholis internis parandi apparuit. Septem enim typos distinguimus, pro singulis institutis: a) Aliqua instituta adhibent solos docentes internos qui titulis academicis correlativis sive ecclesiasticis sive civilibus potiti sint; b) alia adhibent docentes internos religiosos qui titulis academicis ecclesiasticis potiti sunt aut saltem titulis internis aequipollentibus; c) alia adhibent docentes internos religiosos qui aut titulis academicis ecclesiasticis potiti sunt aut saltem vere in respectivis disciplinis periti tum experientia tum doctrina et aptitudine speciali Superioris Generalis aut Provincialis nominatione recognoscuntur; d) alia adhibent docentes internos religiosos, quorum nonnulli tantum, et quandoque pauci, titulis academicis, genericis aut specificis, ecclesiasticis aut civilibus potiti sunt [13]; e) alia adhibent docentes internos religiosos, qui omnes titulis academicis carent; f) alia adhibent docentes internos religiosos, etsi titulis academicis careant, qui a docentibus externis sive clericis sive laicis coadiuvantur; g) alia, denique, aut scholis internis omnino carent aut eas ducunt cum omnibus docentibus externis.

---

[13] Exemplum sit Ordo aliquis in quo scholae triplici gradus, nempe litterariae, philosophicae et theologicae tribus Professoribus academicis titulis ornatis (nempe: uno in S. Theologia licentiato, altero in Iure Canonico baccalaureo et tertio artibus extruendi diplomate civili ornato), coeteris illis carentibus, ducebantur.

Inde, ut ad unitatem revocaretur praxis tam varia, in limine discussionis varia proposuerunt Commissarii, ut scil. omnes Moderatores et Magistri saltem pro disciplinis principalibus, aptis titulis hornarentur; ut tituli interni tales essent qui ab Ecclesia merito recognosci possent tamquam sufficientes ad docendum in scholis internis; ut opportune etiam titulos academicos civiles sodales apti et securi consequerentur, maxime in institutis quorum finis specificus sit educatio et eruditio puerorum et adolescentium. Quandoque enim ex legislatione statuali sodales docentes ad consequendos titulos academicos civiles seu statuales adiguntur. Praeterea, in disciplinis profanis tituli ecclesiastici ex regula non habentur et necessario substituendi sunt titulis statualibus aut saltem titulis ecclesiasticicis aequipollentibus.

Logica enim videtur et ut legitime consequens ex nota publicitatis studiorum apud Status perfectionis complendorum, necessitas specificae competentiae, quae publice pariter adgnosci debet, ut quis in scholis cuiuscumque gradus legitime et fructuose docere possit. Porro, quoad disciplinas ecclesiasticas principales, veluti S. Theologia, S. Scriptura, Historia Ecclesiastica, Ius Canonicum, Philosophia Scholastica, praescripta c. 1366 § 1 etiam sodales Statuum perfectionis concernunt: pro regula, gradus academici, in Universitate vel Facultate canonica obtenti, requiruntur. Quod, iuxta Commissarios, quadruplici modo consequi potest, vel scil. alumnos ad Universitates vel Facultates canonicas iam existentes mittendo; vel erectioni Universitatum et Facultatum internarum ad normam Const. Ap. *Deus scientiarum Dominus*, 24 maii 1931 [14] favendo; vel titulos internos, si quae in instituto sint, ad titulos academicos opportunis normis et conditionibus statutis, referendo; vel adgregationes collegiorum ad Universitates et Facultates promovendo. Sed etiam quoad alias disciplinas aut secundarias aut non stricte ecclesiasticas, non exclusis disciplinis in cursibus inferioribus et medio-classicis, necessitas specificae competentiae in docentibus apprime manifestatur [15]. Quodsi desint in ecclesiastica studiorum organizatione propria in iis disciplinis Facultas, gradus necessarii, saltem aequipollentes, aut in specialibus Institutis studiorum Supe-

---

[14] Cfr. AAS XXIII (1931), 263-264; *Ench. de Stat. Perf.*, n. 360.

[15] Nec valet exemplum Universitatum Liberarum, sicubi eae existant, in quibus, uti dicunt, omnes docere possunt etiamsi titulo careant, dummodo effectus boni obtineantur. Siquidem, non potest arbor mala bonos fructus facere. Non negamus bonos fructus percipi posse etiam ab arbore dubia. Sed ad dubia repellenda pleneiustificatur Auctoritatis sive ecclesiasticae sive civilis seu statualis interventus.

rioribus, a S. Sede rite adprobatis aut erectis [16], aut in Universitatibus statualibus obtinendi sunt.

Revera, quoad titulos academicos civiles obtinendos, non una fuit semper mens in Ecclesia.

Siquidem, post italicas perturbationes, Leo XIII italis clericis utriusque cleri praeceperat ne Universitates statuales laicas frequentarent nisi ex gravi et a Superioribus recognita necessitate et quidem sub certis strictisque conditionibus [17]. Hae dispositiones a S. Pio X ad clericos nationum omnium extensae sunt [18], et a S. C. Consistoriali denuo, post Codicis promulgationem, sollemniter repetitae [19]. Imo, Pius XI exceptiones, si quae faciendae essent, circa prohibitiones laicas Universitates frequentandi, « Nihil obstat » S. Congregationis de Sem. et Stud. Universitatibus subiectas esse voluit [20]. Iterum Pius XII f. r. per S. Congregationem de Sem. et Stud. Universitatibus prohibitiones renovavit [21] atque conditiones pro exceptionibus strictiores reddidit. Nihilominus, necessitas non novit legem. Quae necessitas hodie maxime intelligitur et comperitur praesertim in institutis, quorum finis specificus est educatio et eruditio puerorum. Quapropter, facilius pro clericis et Sacerdotibus horum institutorum, nostris temporibus, statualibus auctoritatibus in docentibus legalia diplomata seu titulos academicos exigentibus, 'nihil obstat' conceditur.

Etiam quoad alumnos, dum iam anteacto tempore absolute vel relative prohibitum erat ipsos, quatenus ad id apti considerarentur, ad consequenda testimonia legalia curriculorum medio-classicorum impellere, ne divinae vocationi praeiudicium inferretur, et voluntas clerici ad haec consequenda signum haberetur deficientis seu amissae vocationis; transacta tempestate res gradatim emollita est. Quare hodie hortantur potius sodales ad illa testimonia consequenda, praesertim quoad licentiam quam dicunt gymnasialem et licaealem, tum ex necessitate comparandi clericos, qui ad gradus aca-

---

[16] Exemplum sit Institutum Superius Scientiarum et Litterarum « S. Clarae », quod iam ab anno 1933 Ordo Fratrum Minorum Neapoli habet quodque recenter a S. C. de Religiosis ex Audientia canonice recognitum fuit (cfr. Decr. *Iam inde*, 14 iul. 1952, Prot. n. 3143/52).

[17] Cfr. S. C. EP. ET REG., Instr. *Perspectum est*, 21 iul. 1896 (*Ench. de Stat. Perf.*, n. 235).

[18] S. PIUS X, Litt. Enc. *Pascendi*, 8 sept. 1907 (*Ench. de Stat. Perf.*, n. 256); Motu pr. *Sacrorum Antistitum*, 1 sept. 1910, II (AAS., II (1910), 655-680; *Ench. Stat. Perf.*, n. 268).

[19] Decr. *Nemo de sacro*, 30 apr. 1918 (AAS., X (1918), 237-238; *Ench. de Stat. Perf.*, n. 323).

[20] Cfr. Epist. *Sono note*, 15 aug. 1931 (*Ench. de Stat. Perf.*, n. 362).

[21] Cfr. Decr. *Nessun ecclesiastico*, 20 aug. 1943 (*Ench. de Stat. Perf.*, n. 379).

demicos in Universitatibus laicalibus consequendos de mandato contendunt, tum ex consideratione conditionis in qua inveniren-tur ii qui deficiunt in via [22]. Vitandum tamen est ne, ex falsa pie-tate erga eos qui deficiunt in via (facto forte constringantur a civili studiorum tramite aberrare), programmata nostrarum scho-larum deformemus, illa minus apta ad formationem candida-torum ad sacerdotium reddentes. Hoc enim in praeiudicium ver-teret ecclesiasticae formationi perseverantium, in quorum favorem scholas internas proprias Ecclesia et instituta praeprimis consti-tuunt, et viam aperit ut in internis institutorum scholis, tum ex minori dispendio oeconomico, tum ex maiori morali protectione, maior pars alumnorum signa non praebeant divinae vocationis iique periculum amittendae vocationis bonis exient. Sapienter igitur Ec-clesia c. 1363 imponit ut ii tantum in Seminario recipiantur alumni, qui signa saltem vocationis exhibeant.

6) Longe disceptatum est circa restrictionem dispensationum quoad tempus probationis et formationis, ita ut adplicatio Codicis plene restitueretur.

Gravem quoque discussionem habuerunt Commissarii circa na-turam et extensionem muneris magistro spiritus concrediti. Diver-sas tendentias diversamque praxim ad unitatem reducere haud fa-cile ostendebatur. Quare, decisum fuit ut principaliores et potiores traditiones hac in re conservarentur et amice, pro posse, compo-nerentur.

7) Specialis conditio Religionum canonicalium et monasticarum specialem requirit legislationem aut saltem specialem communis legislationis adplicationem. Cum enim plerumque domus huiusmodi Religionum sint domus sui iuris et ita autonomae ut provinciis alia-rum Religionum merito quodammodo comparari possint et super-iores locales Superioribus provincialibus, nec ordinarie habeatur Religio administrative quoad regimen « centralizata », sequitur non semper nec omnes normas, quae de studiis et formatione tra-ditae sunt, eisdem applicari posse. Opportune igitur quandoque speciales normae dandae sunt, quibus, servata autonomia domo-rum, formationi et institutioni clericorum apte provideatur.

Etenim, et publicitate et fine et natura rei scholae internae Statuum perfectionis cuiuscumque gradus et ordinis scholis seu Se-minariis dioecesanis merito et communiter aequiparantur [23]. Ne-

---

[22] S. C. de Sem. et Stud. Univ., Litt. Circ., 8 maii 1943.

[23] Hoc sensu etiam *scholae apostolicae* in organizatione scholarum ecclesiasti-carum inseruntur atque merito a Pio XI « *parva seminaria* vel conlegia... adule-scentibus excipiendis, in quibus aliqua divinae vocationis indicia deprehendentur » vocantur (cfr. Litt. Ap. *Unigenitus Dei Filius*. 19 mart. 1924: AAS., XVI (1924),

quit inde institutio et formatio clericalis privatim et veluti clandestine et in familia, apud Religiones canonicales et monasticas dari. Consequenter, nova huiusmodi legislatio scholaris et efformationis clericorum Statuum perfectionis potius Congregationibus canonicalibus et monasticis quam singulis domibus sui iuris et monasteriis concreditur, quamvis ei de iis saepe mentio fiat in particularibus.

Favet insuper eadem nova legislatio, salvo iure monasteriorum proprias habendi scholas, constitutioni sedium et collegiorum generalium seu internationalium, in quibus, servata autonomia locali, facilius tanto operi educationis et institutionis clericorum provideatur, sive optimis moderatoribus et professoribus undique ex universa Religione selectis, sive sana aemulatione inter alumnos promota.

Non destruitur proinde ius singulorum monasteriorum et sui iuris domorum proprias habendi scholas internas, sed hae imprimis requisitis novae legislationis respondere debent quoad constitutionem, publicitatem, functionem, numerum et aptitudinem moderatorum et professorum, numerum alumnorum, bibliothecam, etc., sub vigilantia regiminis centralis saltem Congregationis canonicalis vel monasticae; quae per Visitatores, per constitutionem specialis Commissionis centralis vigilantiae, aliosque interventus exercitari debet. Scholae igitur et collegia formationis et institutionis clericorum etiam in Religionibus canonicalibus et monasticis ita agere et sese gerere debent ut *vere publica*, *clericalia et monastica seu canonicalia* sint et appareant. Secus, singulae domus sui iuris singulave monasteria scholas proprias internas habere nequeunt.

Quorum criteriorum in lucem novum Schema reelaboratum fuit atque a. 1950 pro-manuscripto editum [24].

6. Eodem tempore, a longe praeparatus, *Congressus Generalis Statuum perfectionis*, in Urbe Anno Sancto 1950 (26 novembris -

---

133-144; *Ench. de Stat. Perf.*, n. 348). Sequitur inde scholas apostolicas, etiamsi de eis Codex sileat, aliquid constituere officialiter et publice recogniti cum evidenti analogia ad seminaria dioecesana (cc. 1358, 1363 § 1, etc.), puerosque in eis receptos educari debere, congrua congruis referendo, ad finem vocationis religiosae, cuius ipsi ' aliqua indicia ' praebeant. Insuper, ex c. 589 § 1, clerici religiosi studiis philosophicis et theologicis incumbere debent postquam in *inferioribus disciplinis* rite instructi fuerint; instructio autem in inferioribus disciplinis proprie in scholis apostolicis datur.

[24] Revera Schemata a. 1944, 1945 veluti materiam praesentabant praevisae Instructionis nondum elaboratam. Schemata autem a. 1946, 1950 materiam iam elaboratam praebebant ad definitivam adprobationem.

8 decembris) celebratus est, « felix sane ac vere fortunata novitas in universa Sanctae Ecclesiae historia », cuius Acta, in quattuor Voluminibus collecta, tot scripta continent, quae ex 350 fere auctoribus, scriptoribus omne genus provenientia, etsi indolis, ponderis, pretii, satis diversa sint, Statuum perfectionis, prout hi nostris diebus, medio iam vicesimo saeculo, existunt, fidelem imaginem reddunt ac referunt [25].

Quoad rem nostram, Sectio II Congressus tota incubuit in institutione et formatione alumnorum renovanda atque nostris temporibus accommodanda [26]. « Ambigendum non est, quin Actorum collectio insignia monumenta, documenta et commentaria nobis afferat et satis copiosa ac pretiosa subsidia suppeditet, ut Status perfectionis plenius ac securius cognoscere possimus sive quoad illa quae actu habent, sive quoad ea in quae conspirant seseque protendere conantur, sive in illis denique in quibus quodammodo deficere possunt » [27].

Ad exitum Sessionum Congressus vota expressa sunt, quorum nonnulla quaestionem nostram apprime tangunt. Revera, unanimis fuit consensus circa criteria et unitatem formationis intellectualis, moralis, religioso-clericalis et apostolicae. Formatio enim in Statibus perfectionis sodalibus clericis impertienda dupliciter considerari potest, generice nempe seu communiter pro omnibus, et specifice seu relate ad specificum finem peculiaris instituti.

Integrum opus sub directione et vigilantia manet S. Ecclesiae Dei, a qua instituta singula proprium esse iuridicum recipiunt mutuantque, quaeque sicut in aliis non minoris momenti, ita etiam et in iis quae ad formationem clericorum sese referunt, per S. Congregationem de Religiosis, cuius specifica in re competentia conclamata est, intervenire debet. Insuper, formatio ipsa, in reddendo sodalem virum perfectum, sacerdotem sanctum et doctum et nostrorum temporum apostolum ardentem et capacem, tota incumbere debet, ex quo optimos portendere liceat fructus. Eruditio enim eo tendere debet ut sodalem Statuum perfectionis iuvenibus eiusdem aetatis saecularibus studentibus in profanis aequet, et clericis dioecesanis bene formatis haud inferiorem in disciplinis ecclesiasticis constituat. Huic culturae genericae, ad quam omnes indiscrimina-

---

[25] Exc.mus Larraona in Praefatione ad *Acta et Documenta Congressus Generalis de Statibus perfectionis*, I, p. XI-XII.

[26] Cfr. *Acta et Documenta*, II, p. 524-822. Hic revera colliguntur 42 scripta de educatione, formatione, vocatione. Quibus addi debent alia 68 scripta III voluminis p. 7-457, quae de methodo et gradibus educationis et institutionis agunt.

[27] Exc.mus Larraona, l. c. p. XIII.

tim tenentur, quodlibet institutum technicam et, iuxta proprium cuiusque finem, specificam adiungat [28].

7. Revera, Schemata tertium et quartum, relicto cursu longiore et prolixiore expositivo Instructionis, formam aliquantulum legislativam adhibebant, ut melius in articulis brevibus et concinnis quae agenda essent apparerent. Quae forma, ad maiorem legalem concinnitatem reducta, etiam in nova redactione Statutorum Generalium conservata est.

Itaque, nova parva adlecta est Commissio specialis et veluti privata, cuius membra fuerunt: RR. PP. Agathangelus a Langasco OFM Cap., Dezza Paulus SI., van Biervliet Albertus CSSR, et Pugliese Augustinus SDB., a secretis, quae, Praeside Exc.mo Secretario S. Congregationis de Religiosis, inde ab a. 1951-52 strenue adlaboravit ut ex imis totam materiam refunderet ac reordinaret, iuxta nova et ample discussa principia.

Quae nova principia in hoc convergebant, quod scil. tota materia ita distribueretur ut inde Constitutio Apostolica efformaretur cum adnexis Statutis generalibus, quibus decursu temporis, prout necessitas postulavisset, alia documenta et instructiones largiores et naturae magis peculiaris accederent. Parva igitur Commissio hoc munus habuit: a) praeparandi materiam Constitutionis Apostolicae, quae, ad exemplum Constitutionum App. *Provida Mater* et *Sponsa Christi*, principia attingeret historico-doctrinalia (evolutionem, conceptus, circumstantias loci, temporis et personarum, ideas fundamentales) et legem peculiarem contineret, omnibus perfectionis Statibus applicabilem; b) praeparandi legislationem complementarem, quae evolveret, interpretaretur, dirigeret, applicaret principia generalia Constitutionis ipsius, quaeque sub forma Ordinationum seu Statutorum ad summam reduceret, articulis aptis et concinnis, quae facienda et observanda imponerentur; c) ulterius revisendi quae iam acta fuerant in Commissione.

8. Constitutio Apostolica, ad exemplum Const. Ap. *Deus scientiarum Dominus*, characterem historico-doctrinalem induit. Eccle-

---

[28] Interventus S. Sedis non destruit, imo auget roboratque, sanam libertatem et necessariam autonomiam institutorum. Siquidem, « la Santa Chiesa e le Sacre Congregazioni, mentre devono assicurare e controllare il raggiungimento di quel livello di formazione prescritto specialmente per il clero religioso, e a questo fine devono anche imporre con fermezza le norme necessarie, lasciano volentieri una larga autonomia agli Stati di Perfezione, dosata secondo i meriti e gerarchie, perchè possano arrivare a più alte mète e ordinare ad esse la propria legislazione » (Cfr. *Acta et Documenta*, IV, p. 302-303).

siae saeculorum experientia et maxime iurisprudentia Curiae Romanae, praesertim S. Congregationis Ep. et Reg. et S. Congregationis de Religiosis necnon et positiva Romani Pontificis auctoritate, Constitutio Apostolica prae primis competentiam S. Congregationis de Religiosis in ordinandis et dirigendis formatione et studiis clericorum in Statibus perfectionis affirmat; indolem publicam talium studiorum in scholis internis horum Statuum perfectionis peractorum statuit; voluntatem reordinandi et harmonice componendi ac nostris temporibus accommodandi totam periodum formationis religiosae, clericalis et apostolicae ad viros completos extruendos qui fructuose vario apostolatui generico et specifico se dedicent, asserit.

CONSTITUTIO APOSTOLICA « SEDES SAPIENTIAE ».

9. Pars historico-doctrinalis insignis documenti Apostolici merito cum invocatione ad B. V. Matrem Dei et Reginam Apostolorum incipit. Etenim, sicut Internationalis Congressus Statuum perfectionis in Festo Immaculatae Conceptionis memorabili Audientia Pontificia clausus fuerat [29], et postea ab Illa Institutum Superius studiorum Religiosorum pro feminis Deo consecratis Romae excitatum nomen sortitum est [30], ita ad exitum Anni Mariani magnopere exoptabat S. Congregatio de Religiosis praeclara documenta edere, ut monumentum amoris Statuum perfectionis erga Beatissimam Virginem. Quodsi, tempore prohibente, votum hoc compleri non potuit, nihilominus diei Mundi Reginae sacri Constitutio Apostolica refert datum. Ipsa enim Mater Christi et Mater Sacerdotis est; nec sine Ea divina vocationis gratia excitatur, fovetur, et ad optatum finem deducitur, Eaque propitiante et superniter afflante atque auxiliante, iuvenes adlecti ad hortum conclusum floribusque insitum contendunt, ut inde ad Altare concurrentes, zelo animarum furentes, ignem divinum in mundum universum mittant, Christi Apostoli boni et docti redditi.

10. Etenim, status religiosus ex regula, initio quidem laicus fuit. Virgines Deo sacratae « ecclesiastici germini flores, decus et ornamentum gratiae spiritualis, illustrior portio gregis Christi » [31], confessores et ascetae, electissimi inter electos et Ecclesiae columnae [32], votum castitatis, saltem implicite, emittebant, publicam fa-

[29] PIUS XII. Alloc. *Annus Sacer*, 8 dec. 1950 (*Acta et Documenta*. IV, p. 307-332).

[30] PIUS XII, Motu pr. *Nihil Ecclesiae carius*, 21 febr. 1956 (Arch. S. C. de Relig., Prot. N, 01753/56).

[31] S. CYPRIANUS, *De hab. virg.*, P. L., 4, 455,

[32] CLEMENS ALEX., *Quis dives salvetur?* 26.

ciebant perfectionis professionem [33], bonis abdicabant [34], sese a mundo, non loco sed conversatione, separabant [35]. At iam tempore Constantini propria enascitur forma status religiosi in vita heremitica et dein, progressu temporis, et necessitate compellente, in vita coloniali, lauritica, coenobitica, monachali. Sed usque ad canonicos, qui saec. IX-XI in saeculares et regulares distincti sunt, pauci omnino fuerunt sacerdotes inter religiosos. Saec. XVI tempus classicum habetur quo clerus generatim Statum perfectionis ingreditur ob numerosas Familias Clericorum Regularium, ut Iesuitae, Camilliani, Theatini, Barnabitae, etc., et ob initia secundi Status perfectionis nempe Societatum in communi viventium sine votis publicis seu ab Ecclesia qua talibus non receptis et non recognitis, ut sunt Oblati S. Caroli, Oratoriani S. Philippi Neri, Fratres Doctrinae Christianae, Lazaristae, Sulpiciani, Eudistae, Maristae, etc.: quae Societates, quarum nonnullae in veras Religiones progressu temporis evolvuntur, nonnisi per Codicem suum esse iuridicum ab Ecclesia mutuant [36].

Interea mira et perennis Ecclesiae maternitas non exhauritur, ideoque et Instituta enascuntur saecularia quae dicuntur, quaeque publice recognita quidem sunt tamquam tertius Status Perfectionis Const. Ap. *Provida Mater* [37], sed iam a saeculo ad ianuam pulsantia instabant [38]. Ea quoque clericalia aut laicalia esse possunt.

11. Necessarium ante omnia visum est in Constitutione instare in statuenda unitate fundamentali vocationis religiosae et sacerdotalis, ad eliminandas iam in limine ambiguitates. Antiquitus enim prius fuit monachus et dein sacerdos; sed hodie est potius sacerdos religiosus. Plurima namque, ne dicam fere omnia, instituta hodie sacerdotalia enascuntur atque characteri sacerdotali, ad fines sanctificationis et apostolatus, beneficia vitae religiosae cum religiosa ascetica mirabili harmonia addunt [39].

Hinc opportunum videtur affirmare sodales Statuum perfectionis nec extra hierarchiam nec ad margines eiusdem inveniri, sed

---

[33] S. Ambrosius, *De virg.*, 3, 1. 1.

[34] Origenes, *In Ierem.*, 19, 4, 7; *Contra Celsum*, 1, 26; 5, 49; 7, 48.

[35] S. Epyphanius, *Haer.*, 67, 2.

[36] A. Pugliese, *Prospectus diversarum formarum professionis consiliorum evangelicorum* (*Acta et Documenta*, 1, p. 467-476).

[37] AAS., XXXIX (1947), 114-124; *Ench. de Stat. Perf.*, n. 387.

[38] Videsis A. dei Portillo, *Constitutio, formae diversae, institutio, regimen, apostolatus Institutorum saecularium* (*Acta et Documenta*, II, p. 289-303).

[39] Non negamus esse in Ecclesia instituta per se laicalia quae vel nullum vel nonnullos tantum Sacerdotes admittunt, arbitrio Superiorum selectos, ad spirituales necessitates instituti dumtaxat.

sub hierarchia et intra eandem. Siquidem hodie negari non potest in Iure Canonico duplicem praecise et definite hierarchiam delineari, quarum altera primaria est et ad apostolatum externum rite dirigendum et exsequendum tendit atque ad animarum curam sub Ordinario dioecesano; altera vero secundaria ad sanctificationem personalem primo attendens et dein ad apostolatum plerumque specificum, sub Superiore religioso, qui in Statibus perfectionis exemptis ecclesiastica iurisdictione pollet et Ordinarii titulo decoratur (c. 198 § 1), in Statibus vero perfectionis non exemptis specialem potestatem, ordinarie dominativam et praesertim gubernii, magis vel minus extensam, ex officio obtinet. Porro, duae hierarchiae simul procedunt, saepe unius ab altera fere independentes, ad unicum finem, bonum nempe animarum procurandi, et in personam Romani Pontificis convergunt et uniuntur. Et de eis satis. Sufficit enim exsistentiam duplicis hierarchiae saltem innuisse.

12. Itaque, principia generalia in Constitutione contenta et affirmata, haec sunt, summatim.

Praeprimis, character *publicus* [40] institutionis et formationis sodalium Statuum perfectionis, proinde et scholarum in eis institutarum. Publicae enim sunt huiusmodi scholae internae, aequiparatae quidem et quodammodo coordinatae, non subordinatae, scholis Seminarii dioecesani, si tamen conditionibus ad characterem publicum requisitis respondeant. Character namque iuridicus publicus actu inducitur formaliter publico qui vel totaliter a publica auctoritate ponitur vel ab ea saltem partialiter recipitur etsi a privato ponatur, vel denique publica auctoritas ita actui adsistit ut eius naturam mutet. Semper autem actus esse debet qui hunc effectum habeat: constituere personam vel rem aliquam in aliquo ex statibus publicis seu fundamentalibus Ecclesiae, qui ad Eius constitutionem iuridicam sese referunt [41].

---

[40] Revera, vox *publicus* ex *populico* derivat, quod relationem habet cum populo. Conceptus huiusmodi respectum dicit ad societatem tum perfectam tum imperfectam. Ita italice dicimus v. gr. *il pubblico erario* ad indicandum aerarium statuale, sicut dicimus v. gr. *l'opinione pubblica* ad indicandam aestimationem universorum vel fere universorum civium. Sed sensus huius vocis etiam apud nos quandoque ambiguus evadit, ut cum dicimus: *il pubblico benessere, la pubblica ricchezza:* quibus verbis intelligimus non tantum divitias vel commodum aut bonum universorum singillatim, sed etiam Status collective sumpti. Hic *publicae* scholae sunt scholae collectivitatis organizatae quatenus ab auctoritate ipsius collectivitatis erectae aut recognitae sint. Et e contra, scholae *privatae* essent privatorum et non collectivitatis organizatae quae ab auctoritate qua tali neque eriguntur neque recognoscuntur, etsi quandoque non ignorentur.

[41] Cfr. A. Gutierrez, *Instituta saecularia ut status recognitus perfectionis* (*Acta et Documenta*, II, 234-279) p. 248.

Quare, in scholarum publicarum erectione et gubernio quae ab Ecclesia suum esst iuridicum mutuant, Ipsa iure proprio et exclusivo (cc. 1375, 1352) intervenit, non enim hae relinqui possunt arbitrio peculiaris instituti. Interventus autem Ecclesiae per S. Congregationem de Religiosis plerumque manifestatur, cui praevalens ius pertinet eas invigilandi atque prudenter et opportune constituendi atque regendi (c. 251 § 1), non secus ac S. Congregationi de Sem. et Stud. Universitatibus competit scholas Seminarii dioecesani ius constituendi et regendi. Possibilis est transitus de schola ad scholam eiusdem gradus, de scholis internis Statuum perfectionis ad scholas Seminarii dioecesani, et viceversa quia utraeque sunt scholae publicae. Fortasse interventus S. Sedis in constitutione et gubernatione scholarum internarum cuiuscumque gradus quandoque importunus et excessivus videri potest veluti *monopolium* contra naturalem libertatem scholarum, sed ipse interventus scholis ipsis graviora bona affert et necessarius consideratur ad notam publicitatis earundem. Quod autem attinet ad interventum statualem, hic ex regula excludendus est nisi iustificetur ex necessitate recognitionis diplomatum in eis datorum et ex auxiliis materialibus a Statu scholis etiam ecclesiasticis concedendis.

15. Specialitas seu peculiarietas vocationis religiosae simul et sacerdotalis in Constitutione sollemniter adfirmatur. Recta nempe vita sacerdotalis plura addit tum religioso tum sacerdoti. Ratio theologica traditionalis separatim considerabat religiosum et sacerdotem, eo quod per vocationes veluti contrarias religiosus et sacerdos considerabantur enasci. In antiquioribus enim regulis monasticis sacerdos quasi toleratur et tantum ad necessitates spirituales internas communitatis eius praesentia iustificabatur; sed sensim sine sensu factis vita accommodatur et exsurgit sacerdotium ex vita monastica et in vita monastica, primo quidem veluti per exceptionem cum quodam ministerio territoriali cum necessitatibus communitatis coniuncto quod decursu temporis in Abbatiam vel Praelaturam nullius evolvatur, et postea extenditur ita ut religio ipsa clericalis fiat. Sic vita sacerdotalis magnum auxilium ex ascetica religiosa depromit et vitam religiosam ad superiorem dignitatem evehit. Constitutio proinde unitatem vocationis religiosae sacerdotalis in religioso sacerdote affirmat et duo elementa, divinum et humanum, in vocatione aeque perpendit, respuendo theorias vocationem essentialiter consistere in invitatione ab Episcopo aut a Superiore [42].

[42] Qui plura desiderat circa recentem polemicam de vocatione, adeat E. VALENTINI, *Studi sulla vocazione*, Torino, SEI. 1953.

Necesse est enim ut in iis, qui ad clericalem militiam in perfectionis Statu agendam adspirant, una simul omnia convenire debeant quae multiplicem huiusmodi vocationem religiosam, sacerdotalem et apostolicam constituendam requiruntur. Nec minori necessitate duo elementa simul inveniantur in eodem subiecto oportet, cum elementum divinum fundamentum sit, quo deficiente, corruit aedificium, et elementum humanum, ex hierarchica Ecclesiae constitutione proveniens, ad hoc requiratur ut ex contingentiis aliisque circumstantiis elementum divinum in subiecto publice recognoscatur.

Nostris praesertim temporibus nemo est qui non videat generosos iuvenes qui se totos ad personalem sanctificationem et ad apostolatum dedicent, esse numero relative pauciores quam temporibus anteactis. Nostrum non est causas inquirere istius innegabilis phenomeni. Sed simul omnes aperte prospicere possunt luctam absconditam et secretam contra vocationes religiosas. Nihil revera fit aperte et positive, sed undequaque omni ex modo collectio vocationum religiosarum impeditur [43], ut ipsi parochi saepe, saltem de tacito mandato, invigilent atque hostili animo non vereantur iuvenes a Statu perfectionis capessendo sub praetextu maioris necessitatis in dioecesi avertere. Necessaria est igitur absoluta libertas in re et omnia ad libertatem restituenda sunt ne sive religiosi ipsis in mediis colligendi vocatones exaggerent, sive aliis e converso vocationes ipsas inconsiderate aut perdant aut minuant. Imo libertas non intelligenda tantummodo est relate ad vocationum collectorum agendi rationem, sed etiam ad ipsos iuvenes qui divino afflatu ad Status perfectionis accurrunt. Siquidem, nemo cogi debet ad Statum perfectionis amplectendum, et vicissim, nemo vere vocatus ab eo avertendus est. Insuper, qui vocationem religiosam tantummodo praebet et ita in Statum perfectionis laicalem se recipit aut in classem laicorum instituti clericalis seu mixti, ad sacerdotium, ex regula, contendere non debet, nisi ex oboedientia, quatenus praecisa Superiorum iussio in subiecto determinato elementum divinum publice et auctoritative, secundum Constitutiones, recognoscat. Vicissim, non omnes, qui se divinitus vocatos dicunt, ad sacras Ordinationes admittere fas est, cum hoc nonnisi prudenter et oculate faciendum sit per diuturnam subiectorum probationem. Denique, nemo qui vocationem religiosam habet, ad clerum dioecesanum distrahi quocumque praetextu debet; et visissim, eos qui vocationem tantummodo sacerdotalem receperunt, ad determinatum Statum perfectionis capessendum allicere et moraliter cogere nefas est [44].

---

[43] Ad postes alicuius Seminarii verba extabant insculpta: « Tecta huiusmodi non carcer sunt, non castra, non domus religiosa, sed Seminarium »!

[44] Ait PIUS XII, in Alloc. *Annus Sacer*, 8 dec. 1950: « Si Dei vocis invitamen-

Opus vocationum, quod iam a pluribus annis extat apud S. Congregationem de Sem. et Stud. Universitatibus, nuper etiam S. Congregatio de Religiosis opportune, auctoritate Apostolica fundavit [45]. Sodales igitur Statuum perfectionis, qui usque modo ad extensionem Operis, pro clero dioecesano plerumque, strenue adlaboraverant, hodie amico foedere ad *Opus Religiosarum Vocationum* propagandum quoque invitantur, ad illud omnes peculiares conatus singularum familiarum coordinando.

14. Ad probationem et moralem formationem alumnorum quod attinet, specialissima praescribitur cura et vigilantia Superiorum ut vocationes apte probentur, et in viros perfectos et ardentes apostolos evolvantur iuvenes divinitus vocati. Inde gravia praescripta media ad probationem et formationem opportuna ut praecisa et magis practica distinctio inter forum interum et forum externum, maior determinatio muneris magistri seu praefecti spiritus, cuius figura valde vaga manet in Codice.

Graves proinde exhortationes numeri III Constitutionis ad hoc tendunt ut operi formationis et institutionis iuniorum sodalium Statuum perfectionis Superiores optimos quosque et experimentatos moderatores et magistros praeponant, ut « educatio et efformatio omnino secura, illuminata, solida, integra, sapienter et audacter hodiernis sive internis sive externis necessitatibus accommodata, adsidue exculta vigilanterque probata sit... non ad religiosae solummodo, sed ad sacerdotalis quoque et apostolicae vitae perfectionem quod attinet ». Et quia nemo dat quod non habet, praeprimis ponuntur qualitates eximiae moderatorum et magistrorum, deinde eorum methodus se gerendi generalibus terminis praescribitur, ut « nihil prorsus neglegatur, quod ad corpus animumque perficiendum, ad omnes naturales virtutes excolendas, et ad integram humanitatem viriliter conformandam quolibet modo conferat, ita ut supernaturalis deinde sive religiosa sive sacerdotalis institutio huic solidissimo inhaereat naturalis honestatis escultaeque humanitatis fundamento ».

At educatio et formatio mediis supernaturalibus fundata sit oportet, ut supernaturaliter ad Deum tendant sodales et in proxi-

---

tum certo indicio aliquem ad evangelicae perfectionis culmen arcessit, qualibet amota haesitatione, celsi huius propositi perficiendi causa, ei proponatur libertatis libera immolatio, prout oboedientiae votum exposcit, votum, inquimus, quod Ecclesia per tot saeculorum decursum perpendit. experta est, definivit, comprobavit. Nemo invitus ad huiusmodi devovendi se studium propellatur; sed si is velit, nemo sit, qui eum dehortetur, nedum detineat » (*Acta et Documenta*. p. 319-320).

[45] PIUS XII, Motu pr. *Cum supremae*, 11 febr. 1955 (Arch. S. C. de Relig. Prot. N. 01655/55).

morum salutem strenue et supernaturaliter adlaborent, cum in Statu perfectionis esse non hoc significet peccata sive gravia sive, Deo auxiliante, venialia evitare tantum, sed etiam ad perfectionem caritatis totis viribus contendere. Siquidem « vitae sanctitas, qua dempta, inflat scientia, non aedificat, complectitur non solum probos honestosque mores, sed eum quoque virtutum sacerdotalium chorum, unde illa exsistit, quae efficit sacerdotes bonos, similitudo Iesu Christi Summi et Aeterni Sacerdotis » [46].

15. Quod ad institutionem intellectualem et pastoralem refertur, ipsa 'accuratissima' esse debere dicitur. Ideo supremus legislator, nempe Romanus ipse Pontifex, de huiusmodi re principia paulo longius proponere et commendare desiderat.

Imprimis igitur institutionis necessitas affirmatur ex triplici dignitate, religiosa scil. sacerdotali et apostolica desumpta. Et cum scientia et cultu in sacerdotibus, veluti octavum, uti dicunt, sacramentum consideranda sint, cumque, ut aiunt fontes iuris [47], ignorantia mater sit cunctorum errorum, non solum ad sacros Ordines recipiendos apta scientia requiritur, sed ad quotidianam quoque cum populo christiano consuetudinem. Nam, si in laicis videtur intolerabilis inscientia, quanto magis in his qui praesunt, nec excusatione est digna, nec venia [48]. Hodie non sufficit clericis bene disciplini tantum ecclesiasticis callere si prorsus ieiuni sint scientiarum profanarum, ita ut nequeant in societate decus ac dignitatem propriam nobili conversatione tegere. Inde sollicitudo Romani Pontificis ut etiam in profanis sodales *iis nihil saltem cedant qui e laicis iuvenibus pari sint disciplinae auditores.*

Inde quoque necessitas et praescriptio studium sodalibus Statuum perfectionis numquam esse intermittendum.

De studiis philosophicis et theologicis Constitutio ad leges iam sive in Codice sive extra Codicem latas provocat, easque ad amussim observandas denuo gravissimis verbis inculcat, sive quoad reverentiam ad authenticum Ecclesiasticum Magisterium sive quoad methodum et rationem traditionalem docendi et addiscendi.

Studium autem clericorum debet esse essentialiter formativum, non solum relate ad intellectum, sed ad totum hominem Deo dicatum, qui ad apostolatum proxime aut remote praeparetur. Omnes igitur scholae omnesque lectiones ad hoc intendere consulto debent, ut quaedam quasi forma alumnorum animis imprimatur, quae numquam elabatur, et ex qua, cum usus postulabit, lumen atque

---

[46] LEO XIII, Litt. Enc. *Quod multum*, 22 aug. 1886.

[47] Conc. Toletan. IV, a. 663, can. 4.

[48] LEO Episcopis Constantinopol.: c. 3. D. 38.

robur pro suis aliorumque necessitatibus semper hauriant [49]. Et in unum systema scholae omnes veluti coalescant atque conspirent ut clericorum cultura sit undequaque, pro suo genere, perfecta, integra et completa, attingens simul a venerabili ecclesiastica traditione saeculorum et novis probandis inventis consonans, ut sacerdotes formet nostrorum temporum, ad omne opus bonum instructos. Quod si, sollemniter concludit Papa, debita sanctitas et scientia sacerdoti desint, omnia ei deesse compertum est!

16. Novum quid considerari potest institutio *pastoralis*, quae, ad exitum Constitutionis, omnibus sodalibus Statutum perfectionis praecipitur tamquam complementum et ornamentum totius institutionis clericalis. Revera, haec institutio iam in pluribus dioecesibus et in diversis Familiis religiosis viget [50]. Ad apostolicum enim ministerium rite et fructuose implendum omnino postulatur in sacerdote accuratissima et omni ex parte perfecta pastoralis praeparatio, « qua vera peritia et dexteritas in multiplicibus christiani apostolatus muneribus rite obeundis gignatur et efformetur ». Sed adhuc desiderabatur hac in re legislatio universalis pro omnibus valitura. Iam Codex in c. 1365 § 3 inter disciplinas cursus theologici etiam theologiam pastoralem elenchaverat: « Habeantur etiam *lectiones* de theologia pastorali, additis practicis exercitationibus praesertim de ratione tradendi pueris aliisque catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis ». Sed iuxta Codicem, pars huiusmodi institutionis clericalis nondum constituebat proprium cursum, cum complexu scil. disciplinarum formativarum et cum tirocinio ad hoc instituto. Codex enim tantum exhortative necessitatem huius institutionis indigitabat et opportunis *lectionibus*, plus minusve numerosis, quae plerumque Professori Theologiae Moralis concredebantur, contentus erat.

At disciplina huiusmodi maximi momenti est hodiernis praesertim temporibus, et practice circumstantiis locorum et personarum accommodanda erit [51]. Ipsa, praeter quaestiones de administratione Sacramentorum, de cura infirmorum, de assistentia moribundis praestanda, continere debet et catechesim (c. 1333 § 1), et doctri-

---

[49] PIUS XII, *Sermo ad alumnos*, 24 iun. 1939 (AAS. XXXI (1939), p. 246: *Ench. de Stat. Perf.*, n. 373).

[50] Exemplum sit illud celeberrimum sacerdotum collegium a Sac. Aloysio Guala Augustae Taurinorum fundatum et a S. Iosepho Cafasso mira prudentia directum, in quo neosacerdotes taurinenses colliguntur et optimo tirocinio ad omne opus bonum instruuntur. Inter alios, in eo collegio optime pastorale tirocinium compleverunt S. Iohannes Bosco, Theol. Albert, Theol. Murialdo aliisque qui clerum taurinensem illustrarunt et de societate optime meruerunt.

[51] PIUS XI, Ep. ap. *Officiorum omnium*, 1 aug. 1922 (AAS., XIV (1922), p. 456).

nam de Actione Catholica [52], et quaestiones de Ecclesiis Orientalibus [53], de missionibus ad exteras gentes, de sacra praedicatione, etc [54].

Ex expressa legislatoris voluntate, disciplina huiusmodi, utpote essentialiter formativa, debet prae primis gradatim iam ab ineunte studiorum curriculo opportune praeparari et impertiri, atque, expletis theologicis studiis ordinariis, speciali superaddito curriculo consummari, attentis pecularibus temporis, loci et personarum adiunctis (cf. Statuta Generalia, art. 47-48).

Etsi praescriptum sollemne Pontificis non omnibus institutis perfectionis probatur, quippe quae id considerent veluti retardationem candidatorum in exercitio apostolatus, quam maxime hodiernis praesertim temporibus necessarium reputatur. Rationes sunt multiplices. Primo quidem ad gravem hiatum evitandum, moderandum, emolliendum inter vitam theoreticam et clausam scholasticatus et vitam largiore libertate donatam in apostolatu. Experientia teste, iuvenes sacerdotes hoc hiatu haud semel turbantur et quandoque deficiunt. Dein transitus a theoria ad praxim haud facilis semper est, et necessaria omnino est practica per expertos magistros eruditio. Quare, ita Romanus ipse Pontifex pastoralem cursum in suis generalibus elementis describit: « ... necesse omnino est ut futuris dominici gregis pastoribus per peritos magistros et ad huius Apostolicae Sedis normas tradatur ea de rebus psychologicis et paedagogicis, didacticis et catecheticis, socialibus et pastoralibus aliisque id genus eruditio, quae harum disciplinarum hodierno progressui respondeat, quaque illos multiplicibus nostrorum temporum apostolatus necessitatibus idoneos paratosque efficiat ». Idque non solum theorice, sed verius practice, exercitationibus practicis nempe sub peritissimis viris cultura pastoralis comitari debet.

17. Constitutionis Apostolicae, denique, conclusio, summis principiis, quibus formatio sodalium Statuum perfectionis regi debet, praelibatis, ad hoc devenit ut sollemniter adprobentur Statuta Generalia, a Sacra Congregatione de Religiosis nunc edita, in quibus singula capita Constitutionis ipsius competentem recipiunt evolutionem et explicationem.

Quae quidem Statuta Generalia necessarium proinde comple-

---

[52] PIUS XI, Litt. *Con singolare compiacenza*, 10 febr. 1939 (*Periodica*. 28 (1939), 103).

[53] PIUS XI, Litt. Enc. *Rerum Orientalium*, 8 sept. 1928 (AAS., XX (1928), p. 146).

[54] Cfr. G. Bolduc, *Les Etudes dans les Religions cléricales*, Washington, 1942, 108-110.

mentum sunt, et veluti pars practica, sed integralis, Constitutionis Apostolicae, a qua separari nequeunt, ut lex normativa, ad practicam actuationem voluntatis legislatoris per ipsam Constitutionem manifestatae, apta praecepta continens, habenda sunt. Ideo concisa, praecisa, lapidaria, nuda observanda praecepta laboriose formulata sunt, ut et mens legislatoris pateat et facilius ad praxim singuli articuli legis deducantur.

De eorum observantia et practica actuatione arbitra S. Congregatio de Religiosis unice constituta est, sive ad dubia, si quae exsurgant, refellenda et solvenda, sive ad eorum observantiam inculcandam et imponendam; quae per specialem permanentem Commissionem Pontificiam de formatione et studiis plerumque aget.

18. Ad coronidis formam colligentes, addemus ex Constitutione Apostolica vocationem religiosam et sacerdotalem in unum coalescere in determinato subiecto, ipsamque ex divino et humano elemento constitui, quorum alterum ab altero officialiter veluti manifestatur et recognoscitur; studia insuper, apud scholas internas Statuum perfectionis peracta, esse publica, religiosa et clericalia et qua talia ab omnibus recognosci debere.

Ad formationem praeterea et institutionem bene curandam necessaria est quaedam « centralizatio » in institutis perfectionis, quippe quod, ob evidentes rationes, S. Congregatio de Religiosis non solet cum privatis personis vel cum guberniis localibus agere ipsisque respondere, sed cum guberniis centralibus singulorum institutorum et ita, per gubernia centralia, ad singulos actione sua pervenit. Sed alia quoque non minoris momenti est ratio centralizationis in re. Siquidem, etiam Religiones monasticae autonomiam hodie habent aliquatenus limitatam. Ad necessitates contingentes, ad meliorem efformationem subiectorum, ad unitatem et uniformitatem ipsius formationis obtinendam et servandam, Congregationes monasticae quandoque novitiatum unicum habent, scholasticatum omnibus Monasteriis Congregationis communem. Ad hanc praecise unitatem exhortantur Status perfectionis non centralizati, immo et obligantur si secus efformatio subiectorum aliquod detrimentum capere possit.

Magnificae, denique, Statuum perfectionis traditiones de probatione et efformatione candidatorum, praesertim circa meliorem aestimationem titulorum internorum, qui titulis academicis accedant, quique serietati et gravitati institutionis iuniorum sodalium haud parum conferunt, dissecari non debent. Tum methodis tum substantia, cultura traditionalis religiosa conservanda erit sed perpolienda et melioranda. Ideo magni aestimandi quidem sunt tituli graduum internorum, si qui exsistant in determinata Familia atque

fovendi si qui institui videantur, proviso quod et gravitate et eruditione nihil cedant gradibus academicis. Nec omnino aliena est S. Sedes ad erectionem Universitatum seu Facultatum internarum pro singulis Familiis Statuum perfectionis et ad creationem specialium Superiorum Institutorum pro studiis sive ecclesiasticis sive profanis altius excolendis.

Itaque, Constitutio Ap. *Sedes Sapientiae*, ut ex dictis iam apparet et melius ex dicendis apparebit, una cum Const. App. *Provida Mater* de Institutis saecularibus et *Sponsa Christi* de monialibus, ad illos pertinet maiores huius S. Congregationis, in renovato erga vitam perfectionis fervore, interventus circa organizationem Statuum perfectionis nostris temporibus accommodatam [55].

SACRAE CONGREGATIONIS DE RELIGIOSIS DECRETUM EXSECUTORIUM

19. Officiali publicae editioni Statutorum Generalium praemittitur Sacrae Congregationis de Religiosis Decretum exsecutoriale diei 7 iul. 1956.

Iam in proemio huius Decreti S. Congregatio sollemniter declarat ipsa Statuta Generalia, etsi in Actibus Apostolicae Sedis non inserta, *probata* et *promulgata* esse in ipsa Constitutione Apostolica *Sedes Sapientiae*, nuper commentis ornata.

Porro, *probare* in iure est aliquid adgnoscere et suscipere eoque ut bono contentum esse. Ita scil. Romanus Pontifex Statuta Generalia, a S. Congregatione confecta, adgnoscit et suscipit suamque legem, certo quodam sensu, facit. *Promulgare* autem est quasi provulgare, publicare. Hinc promulgatae leges dicuntur, cum in vulgus eduntur per auctoritatem competentem et cum aliqua externa manifestationis sollemnitate [56]. Statuta vero enuntiantur et probantur in Constitutione Apostolica, sed proprie praesenti Decreto publici iuris facta sunt. Quod ad rationem promulgationis sufficit. Est enim promulgatio intimatio seu denunciatio legis a legislatore communitati facta. *Adnexa*, insuper, Statuta Generalia Apostolicae Constitutioni dicuntur, quatenus ipsius pars practica sed integrativa sunt, unumque inscindibile cum eadem in genere constituunt, non quatenus singuli articuli, prout necessitas aut utilitas postulaverit, auctoritate S. Congregationis, modificari non possunt, sed quatenus

---

[55] Cfr. E. Bergh S. I., *La Constitution « Sedes Sapientiae » sur la formation des religieux clercs* (*Revue des Communautés Religieuses*, 28 (1956), 133-145).

[56] Festus, *De verborum significatione*.

supremi Legislatoris voluntatem significant. Ideo exceptiones praevidentur in n. IV quoad dilationes in applicatione singulorum legis praeceptorum.

20. A promulgatione incipere debet legis vacatio, seu temporis spatium quod intercedit inter editionem legis et initium eius iuridici valoris. Quod temporis spatium ordinarie tribus mensibus continetur « a die qui Actorum numero appositus est, nisi ex natura rei illico (leges) ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta (c. 9) ». Consequenter, tam Apostolica Constitutio quam Statuta Generalia ex principio generali vim suam exerunt a die 31 aug. 1956 (n. I). Peculiariter vero distinctio fit inter regulas normasque quae sodalium efformandorum personas respiciunt, quae statim ac urgeant, inde a die 31 aug. 1956 applicanda sunt (n. II); et regulas normasque quae institutionis sedes et cursus et curricula concernunt, quarum applicatio cum initio proximi anni scholaris coincidere debet, scil. cum mense octobri 1956 in locis ubi annus scholaris tali mense incipere solet (n. III) [57]

Praevidentur nihilominus exceptiones, si qua difficultas in legis applicatione exoriatur (n. IV). Largiorem enim indulgentiam S. Congregatio concedit, in iis quae accuratam praeparationem requirunt, Superioribus Generalibus, qui possunt proprias edere normas exsecutionis pro necessitate et utilitate proprii instituti et eorumdem integram applicationem ad certum tempus retardare, dummodo iam a proximo anno scholari illa, quae nulla difficultate praepediantur, applicentur. Tali igitur modo gradualis haberi potest documentorum exsecutio, ita tamen ut saltem post trienii spatium in omnibus Statibus perfectionis non solum habeatur integra Statutorum Generalium actuatio, sed etiam ius particulare (particularia statuta, consuetudines, traditiones), in ipsis praevisum, elaboratum codificatumque sit

Si quod dubium remaneat, si qua difficultas exoriatur, Superiores adeant S. Congregationem de Religiosis, quae per specialem Commissionem de studiis ordinarie opportuna et apta responsa dabit.

STATUTA GENERALIA

21. Statuta Generalia tribus constant partibus, 11 titulis et 53 articulis, in quibus tota materia distributa est, a primis indiciis

[57] Mens est ut Statuta Generalia statim obligent ab initio proximi anni scholaris, quocumque mense, iuxta diversas Regiones et religiosas traditiones, hic incipiat.

seu germinibus divinae vocationis ad plenam eiusdem evolutionem, scil. ad sacerdotium et ad ulteriorem seu, quam dicunt tertiam probationem.

Gradatim et harmonice in singulis articulis varias periodus formationis transeunt sub suis moderatoribus atque professoribus, usque ad sacras Ordinationes et ad ulteriores et summas virtutes, per cursus pastorales, examina quinquennalia, tertiam probationem atque casuum menstruam solutionem.

22. Pars I de institutionis ratione, cursu et legibus agit in tribus respectivis titulis.

Et primo quidem te institutionis ratione in quattuor articulis.

Notio et extensio institutionis, prout vox hic sumitur, in art. 1 describitur Ipsa enim *integra* esse debet, ut scil. totum hominem informet, in ordine ad divinam ipsius vocationem, quae fundamentaliter una est sed triplicem respectum habet, religiosum, nempe, clericalem et apostolicum, pro gradu et indole proprii cuiusque instituti. Porro, instituere adolescentem est eum fingere et parare ad eruditionem et virtutem. Et integrum dicitur quod in nullo deficiat sed in suo genere perfectum est. Integra igitur institutio totum hominem considerat et erudit sive in ordine naturali ut eum honestum, probum, aequilibratum, liberaliter eruditum faciat, sive in ordine supernaturali ut eumdem religiosum, sacerdotem et apostolum reddat, sive relate ad peculiarem Statum perfectionis, cuius membrum activum idem homo esse debet, ad specificum apostolatum vitae activae aut contemplativae optime instructus.

Ad faciles confusiones evitandas iam initio ponitur distinctio terminorum in Statutibus adhibitorum (art. 2) Quae distinctio non omnibus forte probabitur. In hoc autem illud S. Augustini memorandum est, *melius nos reprehendant grammatici quam non intelligant populi!* Quare, si quando invenies vocem non classicam adhibitam, cogites, quaeso, ad novas vitae necessitates, quae non omnes nec semper possunt classico exprimi sermone.

Imprimis igitur, etsi verum sit omnem definitionem esse in iure periculosam [58], valor vocum in Statutis adhibitarum declaratur.

Etenim, ut omnibus compertum est, *probatio* est quasi experimentum quod de alumnis sumunt eorumdem moderatores et magistri, eis imponendo exercitium virtutum et facultatum; unde sciant utrum gradatim idonei sint et denique ad varia propriae vo-

[58] Javolenus : 202. D. 50, 17

cationis officia et munera capessenda parati; est scil veluti examen continuatum candidati nondum definitive adgregati, ut videatur utrum ipse aptus sit an non. Unde vox comprehendit regulas authenticas sive admissionis sive dimissionis.

E contra, vox *institutio* notat materiam, methodum, ordinationem (quoad sedes, tempora, personas, sanctiones, etc.), lectionum, tam theoreticarum quam practicarum, alumnis tradendarum, quibus omnibus ipsi alumni instituuntur Est scil. formatio intellectualis ita ut habeatur religiosus sacerdos doctus et cultus, prout nostra tempora exigunt. Quare, vox *institutio* adspectum theoricum problematis proprie indigitat, et vox *probatio* adspectum practicum. Hic institutio veluti genus sumitur ex quo derivantur vel sub quo inveniuntur voces: instructio, educatio et formatio.

Vox igitur *instructio* ad intellectum in omnibus, sive profanis sive ecclesiasticis genericis et specificis, erudiendum refertur. Vox vero *educatio* haud felix invenitur et quodammodo vaga; indicaret sane formationem voluntatis, cordis, characteris, talis ut inde oriatur bonus, imo optimus homo, christianus, sodalis peculiaris instituti, sacerdos Altissimi. Vox, denique, *formatio* melius responderet, ut videtur, sed latina non est Hic potius sumitur non ut synonyma vocis probationis sed potius veluti genus sub quo sint, ut species, et educatio et instructio, elementa utriusque communia referens et applicans [59].

Huiusmodi autem institutio ordinata esse debet, scil. ex ordine procedere debet iuxta naturalem adolescentium progressionem seu evolutionem, et coordinata tum Ecclesiae legibus tum sanae cuiuscumque Familiae formationis traditioni (art. 3). At nullus sub quocumque praetextu admittitur hiatus seu saltus in curriculis percurrendis (art. 4)

23. Titulus II de institutionis cursu decem articulis absolvitur. Hic plura notanda veniunt.

Praemittitur definitio seu potius descriptio institutionis religiosae, quae in tribus perfectionis publice recognitis Statibus sodalibus alumnis, iuxta praescriptiones, impertienda est (art. 5 § 1), et ponitur principium generale ius commune pro Religionibus, iurisprudentia S Congregationis et legibus particularibus ad Societatem in communi viventium sine votis publicis et ad Instituta saecularia extendi (art. 5 § 2). Quod novum quid est in iure canonico atque valde momentosum, ut statim apparet.

---

[59] Non immerito iuvat hic referre distinctionem terminorum quae apud Romanos vigebat. Ait enim Varro, ut refert Cicero (De Oratore, III. 31, 125): « educit obstetrix, educat nutrix, instituit paedagogus, docet magister ».

Deinde gradus fundamentales et omnino necessarii institutionis cursus elenchatur (ibid.), quibus alii gradus ex legitimo iure particulari accedere possunt in spiritu libertatis quam Ecclesia concedit; quorum singulorum graduum tempora, intra limites iuris communis, iure particulari prorogari quidem possunt, non vero contrahi (art. 5 § 3).

Prima formalis probatio et veluti fundamentum essentiale totius probationis et formationis in Religionibus est novitiatus, cui aequiparatur correspondens prima periodus formalis probationis (quocumque nomine vocetur) in Societatibus vitae communis et in Institutis saecularibus (art. 6 § 1). Hoc tempus ordinarie anno concluditur, sed Constitutiones et ius particulare possunt illud plus minusve extendere, v. gr. ad biennium vel etiam ad triennium [60], non autem contrahere nisi rarissime in casibus particularibus et ex expressa dispensatione apostolica. Favet Ecclesia novitiatui duorum vel trium annorum, quem plerumque instituta laicalia, foeminarum et saecularia adoptarunt, eo vel magis quod in altero novitiatus anno licet studiis etiam profanis data opera sed prudenter incumbere.

Novitiatus tempore novitius [61] veluti inchoative peculiari Statui perfectionis adscribitur, mutuae probationis causa, et peculiarem instituti spiritum proprie apprehendit.

Novitiatus constituendus est ut sit certo modo complementum gymnasii seu studiorum medio-classicorum inferiorum non solum ex repetitione eorum quae in gymnasio docentur, sed etiam ex amplitudine materiae iam studiis subductae, ut v. gr. ex introductione novitiorum ad cognitionem Auctorum Christianorum sive quoad stilum et sermonem latinum vel graecum sive quoad conceptiones et ideas. Etenim omni modo evitari debet quominus transitus a novitiatu ad studia ulteriora, praesertim philosophica, sit violentus et veluti exabrupto. Dum studia litteraria apprime complentur, studia philosophica veluti a longe inhoantur et formatio religiosa perficienda est sanis principiis asceticae religiosae, experientia vivae et traditione sacrae. Ita sodalis quasi manuducitur ad comprehendendum et ad adsimilitandum quidquid boni in asceticа religiosa sacerdotali generali et specifica, pro ipsius captu, inveniatur. Et ita novitiatus consideraretur veluti verum fundamentum vitae religiosae simul et sacerdotalis, quod in scholis apostolicis et in

---

[60] Iam Regula S. Pachomii triennalem probationem requirebat, sed S. Benedictus et S. Franciscus Ass. annualem postea praescripserant.

[61] Romani novitios vocabant genus servorum recentiorum, ut v. gr. servum venalicium, in oppositione ad antiquiores, qui veteratores, veterani, inveterati dicebantur.

adspirantatu clericali iam praeparatum et adumbratum fuit, quodque in professione temporaria continuabitur atque in tertia probatione plene evolvetur. Ideo ordinarie novitiatus non est faciendus nisi completis studiis gymnasialibus eisve adsimilatis vel saltem ad exitum eorum. Sunt qui tenent novitiatum melius adsimilari si fiat studiis licaealibus seu medio-classicis et philosophicis expletis, sed non est ambigendum in novitiatu quindecim annis completis et inferioribus studiis medio-classicis expletis facto, sodalem inveniri in plena evolutione physica ideoque in perfecta positione ut ea, quae dicuntur, propria faciat, quaeque magis evolvi possunt atque gradatim tempore professionis temporariae radicitus adsimilari. Ceterum, voluntas Ecclesiae in Codice manifestata haec est (c. 555 § 1, 1°) [62].

24. Felices sane innovationes sunt quae de praeparatione remota et proxima ad novitiatum in art. 6 § 2 dicuntur.

Praeprimis praeparatur novitiatus remote in scholis apostolicis, quae includuntur et magnopere recommendantur in Litt. Ap. *Unigenitus Dei Filius* [63].

Revera, institutum scholarum apostolicarum seu collegiorum adspirantium novum aliquid est in iure stricto. Et imponendum esset tum institutis laicalibus tum foeminarum. Sane Ecclesia semper defendit libertatem candidatorum ad vitam religiosam vel sacerdotalem; sed hodie innumeri sunt Status perfectionis qui suos iunioratus seu scholas apostolicas habent. Etsi magnam considerationem mereantur vocationes sic dictae *tardivae*, seu adultorum, evitanda atque corrigenda sunt pericula. Nulla criteria nova imponenda sunt iis qui eis non egent eave respuunt. Quare, principia traditionalia opportune revisa optime affirmantur et quadam cum latitudine applicantur. Certum est vocationes iuvenum, si apte diligenterque curentur, meliores practice esse quam vocationes adultorum.

Porro, huiusmodi scholae apostolicae ad medietatem saeculi praeterlapsi initium habuerunt. Hodie in tribus classibus dividi pos-

---

[62] Revera in Congressu Romano Statuum perfectionis a. 1950 personales ideas quis agitavit expressitque: at Codici mordicus insistendum est quia ibi voluntatis Ecclesiae ponderata expressio habetur. Non prohibetur nihilominus praxis alicuius instituti, ab Ecclesia probata, novitiatum ad pleniorem candidatorum evolutionem amandandi.

[63] PIUS XI, Ep. ap. *Unigenitus Dei Filius*, 19 mart. 1924 (AAS., XVI (1924), p. 133-148; *Ench. de Stat. Perf.*, n. 348). Ita Summus Pontifex: «,.. nihil facere vos posse hoc in genere utilius, quam si parva Seminaria vel conlegia constitueritis - quod fieri passim iucunde conspicimus - adulescentulis excipiendis, in quibus aliqua divinae vocationis indicia deprehendantur».

sunt: 1) sunt quae supponant vocationem *specificam* donec contrarium probetur; ordinantur igitur et coordinantur ad vitam determinati instituti, non solum generice ad spiritum sed etiam ad asceticam et exteriores practicas; 2) sunt quae supponant vocationem *genericam* ideoque nulla in eis est practica exterior vitae perfectionis; 3) sunt quae supponant tantum *germina*, indicia, signa vocationis ordinariae et apostolicae, sine determinatione. Inter varias classes media via incedens S. Congregatio de Religiosis scholas apostolicas, quae ad mentem Pii XI [64], Seminariorum minorum clericalium munere in Statibus perfectionis funguntur, absolute non imponit. Impossibile enim videretur obligare omnia monasteria, plus minusve independentia, et Religiones v. gr. contemplativas ad onus constituendi et moderandi huiusmodi collegia. Sunt praeterea Religiones quae ad colligendas vocationes eis minime indigent, praesertim in regionibus ubi plura et optima exstant collegia catholica communia. Insuper, Institutis saecularibus parum congrueret, ob notam secreti. Nihilominus, ubi necessitas, v. gr. si secus deficerent, omnino vel fere, postulantes, aut utilitas, cum v. gr. collegia communia exigentiis vitae religiosae parum respondeant, postulabit, licitum est scholas apostolicas constituere, illasque rite constitutas S. Congregatio adgnoscit tamquam scholas internas publicas, in quibus cursus elementarius seu praeparatorius aut etiam totum curriculum medium-classicum valide perfici possint. Quo in casu hoc poscit S. Congregatio, ut qui in scholas apostolicas admittuntur candidati, ii saltem *prima germina* vocationis genericae manifestent (art. 31 § 2, 2) utque in eorum animas prima solida fundamenta vitae moralis, christianae et asceticae iaciantur (art. 6 § 2, 2).

Opportune curandum est ut iam in scholis apostolicis efformetur schedula medica singulorum alumnorum cum iudicio anamnestico atque diagnostico [65]. Magna denique cura adlaborandum est in formatione characteris seu in educatione iuvenum. Ante Decreta *Sacrosancta* [66] et *Quo propositum* [67], nulla lex universalis in Ecclesia postulatum Religionibus imponebat; sed antiquissima erat praxis qua, qui novitiatum ingredi cupiebant, saltem per certum tem-

---

[64] Videsis not. praec.

[65] Gravissima et prudentissima datur norma in art. 33 circa iudicium anamnesticum et diagnosticum prudentis medici ante admissionem candidatorum ad novitiatum pro singulis exquirendum; qua neglecta, nemo non videt, experientia teste, quas gravissimas consequentias forte timendas esse.

[66] S. C. de Rel., Decr. *Sacrosancta*, 1 ian. 1911 (AAS., III (1911), p. 29-36; *Ench. de Stat. Perf.*, n. 272).

[67] S. C. de Rel., Decr. *Quo propositum*, 15 aug. 1912 (AAS., IV (1912), p. 565-566).

pus opportune praepararetur. Codex dispositiones duorum decretorum recipit et postulatum imponit tum laicis viris tum foeminis at non ad validitatem novitiatus (cc. 539-541), ulteriores determinationes ad Constitutiones remittens. Nunc Statuta Generalia aliquam proximam et brevem praeparationem ad novitiatum imponunt (art. 6 § 2, 1) non quidem omnibus et absolute, sed illis praecipue qui religiose et ascetice nondum ad novitiatum inveniuntur parati. Quae proxima et brevis praeparatio, cum similis sit postulatui canonico, vocatur *clericalis postulatus* vel *adspirantatus*, qui expleri potest vel in domo novitiatus, vel in alia domo determinata et huic praeparationi destinata, vel in sectione speciali scholae apostolicae. Eiusdem constitutio et ordinatio iuri particulari relinquitur et Superiorum iudicio, qui tamen ad modum postulatus canonici illum constituere, ordinare et regere debent. Ratio innovationis in necessitate posita est explorandi utrum candidati ad novitiatum divinae suae vocationis non obscura sed perspicua argumenta demonstrent an non [68]. Superiores igitur solliciti esse non debent de numero candidatorum ad novitiatum sed de eorum qualitate scil. de eorum vera vocatione.

Expleto autem novitiatu sedulo Superiores novitios cribrent, et illos tantum ad religiosam professionem admittant, qui tirocinio rite posito ea dederint verae vocationis signa, ut iudicari merito possint, ipsos non alia de causa religiosam vitam amplecti, nisi ut Deo unice vivant, et suam atque aliorum salutem pro cuiusque instituti ratione procurare possint [69].

25. Etiam in art. 7 et 8 felix innovatio, seu naturalis iuris evolutio, habetur. Etenim, Codex praevidet, ex regula, professionem temporariam triennalem, facta tamen facultate ad normam Constitutionum, eam ad aliud triennium prorogandi. Actualis praxis, Commissionibus Plenariis firmata, ulteriorem prorogationem non admittit. Sed quandoque, ad praxim quod attinet, opportuna erit

---

[68] *Conc. Prov. Burdigalense* a. 1583, cap. XXV (*Ench. de Stat. Perf.*, n. 112) ait: « Diligentissime Superiores animum atque voluntatem eorum explorent, qui ad novitiatum vel professionem admittendi erunt, nec quemquam recipiant, aut profiteri nullo modo permittant, nisi de divina eius vocatione, atque etiam perseverandi voluntate, non obscura sed perspicua argumenta habuerint, licet pauciores futuri sint religiosi » (Cfr. CLEMENS VIII, *Cum ad regularem*, 19 mart. 1603, n. 6; *Ench. de Stat. Perf.*, n. 132).

[69] PIUS IX, Litt. Enc. *Nostis et nobiscum*, 8 dec. 1849. n. 26 (*Ench. de Stat. Perf.*, n. 190). Relicto igitur conceptu, quem de vocatione abhinc quiquaginta circiter annis expresserat Lahitton, optime adfirmatur origo divina vocationis, quam recta intentio et moralis ac physica aptitudo comitetur. Aptitudo autem non praesumitur, sed probanda est.

norma, quae ante Codicem vigebat, quod scil. expleto sexennio, professio quae fiat, sit perpetua ex parte subiecti et adhuc temporaria ex parte instituti [70]. In aliquibus enim Statibus perfectionis praesertim vitae activae, expletis studiis philosophicis, fit experimentum interruptionis formationis intellectualis et alumni ad ministeria, stadiis propriae formationis et aetatis convenientia, per certum tempus destinantur ut eorum aptitudo ad specialem vitam religiosam capessendam experientia comprobetur. Porro, talibus in adiunctis, haud semper conveniens apparebit sodales ad professionem perpetuam statim admittere. Probatio practica, quae, perdurante interruptione studiorum ad specificam vocationem comprobandam datur, non est tempus ad professionem perpetuam emittendam. Neque immediate post tirocinium practicum interruptionis experientia teste, definitive probatus considerari generaliter potest sodalis, qui fortasse eodem perdurante suas deficientias ostendit quique strenue adlaborandi in defectibus corrigendis propositum demonstret. Non temerarie igitur invocaretur dispositio tertium triennium professionis temporariae aut imponens aut facultativum relinquens. Attamen iuxta praxim vigentem, praevidetur S. Sedis concessio, ad ulteriorem prorogationem quod attinet (art. 8 § 1, 1), saltem in singulis casibus.

Innovatio autem in hoc consistit, quod scil. etiam in Religionibus et institutis votorum seu vinculorum temporariorum (c. 488, 1°) expleto sexennio, haec vota vel vincula, per se temporaria, perpetua seu definitiva audiunt non quidem ex parte sodalis, qui semper potest liber abire expleto votorum vel vinculorum tempore, sed ex parte instituti, ratione conditionis professi (art. 7 § 2; art. 8 § 1, 2), qui v. gr. non posset dimitti nisi observata procedura dimittendorum professionis perpetuae [71].

26. Emissa igitur professione perpetua vel obtenta, ut supra, definitiva incorporatione, periodus formationis religiosae consideratur veluti sufficienter completa; prosequenda autem erit usque ad receptum sacerdotium et ad terminum curriculi theologici (art. 8 § 2) et perficienda ac confirmanda est in curriculo pastorali et in primo quinquennio sacerdotii (art. 9 § 1). Ubi vero tertia probatio habetur, extremum institutionis religiosae complementum et ornamentum in ipsa datur. Est enim tertia probatio (seu annus per-

---

[70] Siquidem in Decr. *Sacrosancta*, 1 ian. 1911 (*Ench. de St. Perf.*, n. 272) dicebatur: « 4. Expleto novitiatu, servatisque quae servanda sunt, laici admitti possunt ad simplicem votorum professionem, quae quidem, perpetua ex parte voventis, sit ad tempus sexennii ex parte Ordinis ».

[71] PCC. V., 24 iul. 1947.

fectionis, novitiatus apostolicus, schola affectus, vel quocumque alio nomine vocetur) « breve sed intensum curriculum veluti totius receptae simul et complementum et confirmatio institutionis atque authentica obsignatio » (art. 9 § 2).

Quae tertia probatio, nunc primum in documentis officialibus characteris universalis nominata, non imponitur, sed tamquam perutilis praxis, praesertim Societatis Iesu, quae prima, ut videtur, illam in suo iure particulari recepit et ex qua alii quoque Status perfectionis eamdem mutuarunt [72], multum laudatur atque commendatur.

In Institutis vero saecularibus, in illis praesertim quae vitam communem non habent, periodus formationis subiectorum, quorum vota seu vincula definitiva evaserint, etsi sufficienter completa habeatur, non ideo iam perfecta retinenda est, sed eius perpolitio iuri particulari relinquitur (art. 8 § 1, 3).

27. Nunc, ad institutionem clericalem propius accedentia, Statuta generalia apprime eiusdem momentum ostendunt pro sodalibus qui ad altaris servitium contendunt eamque ut vocationi eorum religiosae sacerdotalis quam maxime respondeat praescribunt (art. 10 § 1). Inde, ex mirabili coniunctione institutionis religiosae et clericalis, haberi potest sacerdos pius et doctus.

Clericalis institutio in se una eadem est tam pro clero dioecesano quam pro clero religioso; cleri vero religiosi dignitas sacerdotalis multum vita et disciplina religiosa augetur; dum enim sacerdotium religiosam professionem elevat ac ditat, haec illud alit et roborat (art. 10 § 2).

Ut intimius institutio clericalis cum religiosa cohaereat et profundius imprimatur, simul procedere debent simulque incipere iam a scholis apostolicis et pari gressu evolvi ac perfici (art. 10 § 2). Siquidem iam ab initio tum studiorum ratione et methodo, tum pietatis exercitiis, tum aliquali a mundanis segregatione, pro aetate

---

[72] Ita Pius XII die 17 sept. 1946 Patres S. I. de tertia probatione sollemniter allocutus est: « Tertius probationis annus, quem aliae religiosae familiae vos imitatae sibi adsumpserunt et cuius beneficio intimae spiritalis vitae vena in vobis uberior succrescit: meditationis et silentii consuetudines praesertimque de alumnorum institutione a maioribus receptae normae indemnes serventur. Haec vero sueta vobis institutio diuturna est, at hac de causa actuosa et efficax. Quemadmodum ut robustae quercus solidentur, longa temporis intervalla necessaria sunt, ita longa patientia ad formandum virum Dei semper requiritur. Refrenetur igitur iuvenum generosa audentia, qua ii ad agendum intempestive rapiuntur; nimis propera operositas magis disperdit quam aedificat, eaque tum agenti tum ipsis apostolicis operibus nocet » (AAS., XXXVIII (1946), p. 383: *Ench. de St. Perf.*, n. 385; cfr. Alloc. 25 mart. 1956, AAS XXXXVIII (1956), p. 269-272).

et captu candidatorum, ad hoc ambae tendere debent ut religiosum efforment, super quo sacerdos pius et doctus aedificetur et apostolus efficiatur.

Clericalis porro institutionis gradus seu tempora vel curricula, ab omnibus absolute percurrenda, quae simul institutionem candidatorum eorumque educationem perficiant atque ad verticem elevent (art. 11 § 1), haec sunt: curriculum medium-classicum, philosophicum, theologicum et pastorale (art. 11 § 2). De singulis infra suo loco aliquid dicemus.

Ad haec ordinaria curricula omnibus imposita, alia specialis rationis addi possunt ad complementum peculiare aliquorum sive institutorum sive sodalium. Sunt enim instituta quae ad erudiendos puerulos destinantur, quaeque proinde ad studia specialia praeter communem culturam, sive ecclesiastica sive civilia, ad praeparationem technicam et paedagogicam alumnos capaces allicere debent ex necessitate proprii finis specifici. Sed etiam alia instituta vitae activae vel contemplativae cursus speciales studiorum altiorum praesertim ecclesiasticorum utiliter instituere possunt.

Quae studia specialia, ex principio expletis ordinariis cursibus fiunt, sed possunt quandoque, ex affinitate materiae, in curriculo pastorali etiam ulterius protracto optime tradi (art. 12).

28. Studiorum interruptio, quae ordinarie inter cursum philosophicum et theologicum apud nonnullos Status perfectionis, ad practicam vocationis probationem et ad necessaria studia profana perficienda, haberi solet, non solum a Sacra Congregatione approbatur sed etiam laudatur et favetur, at simul normis limitatur et conditionibus ad fines, quos sibi eadem proponit adsequendos apta redditur (art. 13 § 1).

Praeprimis, interruptio haec instrumentum est et subsidium totius institutionis alumnorum, ideoque tantum ad eorum maius bonum instituenda et perficienda es, non ad commodum instituti. Nasute insuper imponitur ut fiat inter cursum philosophicum et theologicum, ut minus sentiatur hiatus et sat boni fructus ex ea colligantur. Tunc enim classica et philosophica maturitas iam plerumque adepta est et una simul theorica formatio ad illud stadium perventa consideratur ubi fructuose potest et practice probari. Nihilominus opportunum non est eamdem arbitrio vel instituti vel Superiorum relinquere, ne excessive ultra triennium protrahatur neve quod subsidium est vocationis, in eius detrimentum aut occasionem amissionis convertatur. Ideo praescribitur ut in domibus aptis et religiosae observantiae candidati collocentur sub speciali

cura et vigilantia Superiorum; ut vacationum tempore simul colligantur, quantum fieri potest, ab aliis sodalibus separati, in domo bene instructa, melius in scholasticatu philosophico, ubi, dum vires tum physicas tum morales religiosasque reficiant, spiritualibus exercitiis simul vacent, et peculiaribus integrationis et repetitionis cursibus adstent. Denique, ad exemplum examinum quinquennalium optime tota philosophia scholastica in tribus annis distribui potest et quolibet anno pars alumnis adsignetur ut singuli in ea rite examinentur. Ita scil. interruptio bonos fructus morales produceret et institutioni clericali minime noceret, sed eidem potius incrementum afferret (art. 13 § 1).

Sed, tum in decursu interruptionis tum ad exitum ipsius, periculum esse potest. Porro, si in decursu temporis interruptionis periculum comperiatur, Superiores obligantur, onerata conscientia, ad periculum pro posse removendum, ne ex eorum neglegentia sodales illi vocationem amittant aut physicam sanitatem perdant ex excessivo labore aut ex alia quavis ratione. Tunc sodales possunt aut ad aliam domum vel ad aliam occupationem transferri aut, iuxta casus, ad scholasticatum remitti suspenso interruptionis tempore. Si vero ad exitum interruptionis Superiores alumnos comperiant nondum spiritualiter securos et ad studia theologica inchoanda paratos, possunt tempus experimenti limitate prorogari. Quod fieri omnino prohibetur in commodum instituti, ad cuius necessitates prorogatio numquam admittitur (art. 13 § 2).

Aliae quoque interruptiones studiorum considerantur, sive ob servitium militare, sive ob aliud servitium a saecularibus potestatibus impositum, ut v. gr. ad servitium laboris tempore belli vel invisa alia quacumque tempestate, sive ob infirmitatem aliamque, etsi iustam, causam. Tunc interruptum studiorum cursum quantocius ipsi instaurare tenentur, et omnia ac singula curriculi interrupti fideliter complere (art. 13 § 3). Quare, studiorum vel scholarum seu lectionum intermissio etiam non culpabilis, quae una simul tres menses attigerit, annum scholarem nullum et invalidum reddit (art. 42 § 4, 1). Si autem intermissio infra tres menses completos *complexive*, non igitur continuative, contineatur, sed mensem excedat — mensis autem sumitur ad normam c. 32 § 2, — ipsa *necessario* supplenda est per scholas privatas seu non publicas, sub ductu adprobati magistri, qui testimonium scriptum de omissis rite suppletis reddat; insuper, in examinibus, quae ad exitum curriculi dantur, alumnus de iis quae omisit in schola publica interrogari debet. Nullus Superior potest hac in re dispensationes concedere (art. 42 § 4, 2). Ita in vigorem revocatae sunt disposi-

tiones a Sacra Congregatione iam a. 1915 datae [73]. De iis fusius suo loco.

29. Institutio ad apostolatum, quae verticem totius institutionis clericalis signat, generali quadam ratione seu a longe praeparatur et veluti inschoatur in scholis apostolicis (art. 14 § 1); fini specifico et spiritui peculiaris Status perfectionis adaequatur in novitiatu ut pars vocationis specificae: novitiorum nempe Magister ita novitios efformet ut futuri sint sacerdotes illius peculiaris instituti ad specialem Familiae apostolatum iam directi (art. 14 § 2, 1) et hoc sensu illos practice et moderate exerceat in altero novitiatus anno, si adest (art. 14 § 2, 2), v. gr. ad adsistentiam pueris in adnexo Collegio praestandam, ad laborandum in oratorio festivo, in typographia ad bonos libros edendos, in hospitali, etc. Per totum insuper studiorum tempus ita pari gressu theorice et practice continuanda est cum instructione et educatione (art. 14 § 3), atque complenda et perficienda in curriculis pastorali et technico et in ultima probatione (art. 14 § 4). Sic ad exitum periodus efformationis facile haberi potest sodalis, qui bonus sit religiosus determinatae religiosae familiae, pius et eruditus sacerdos, fervens apostolus ad omne opus bonum, iuxta indolem et spiritum proprii instituti, instructus.

30. Titulus III de institutionis legibus per sex articulos agit.

Et primo quidem nova legislatio ad ius commune vigens comparatur (art. 15). Ex principio enim generali, haec nova legislatio fons directus est totius institutionis clericalis pro Statibus perfectionis, veluti collectio et ordinatio veterum in materia legum, quas perficit et complet per opportunas correctiones, adiunctiones, detractiones, noviter ex integro reordinata materia. Est scil. veluti peculiares *Codex efformationis candidatorum ad sacerdotium*, et proinde fons authenticus, publicus, legalis, universalis, unus. Integris igitur singulis articulis adgnoscendus est valor verae legis; inscriptiones autem et rubricae, non secus ac in Codice, leges non sunt, sed ad rectam articulorum, titulorum et partium generalem interpretationem, inserviunt.

Quaelibet autem iuris praecedentis dispositio in re nostra, in nova legislatione expresse non contenta, potest considerari veluti fons iuris suppletorius, ad quem recurrendum erit, non minus quam ad fontes in c. 20 indicatos, ad lacunas forte in Statutis Generalibus existentes rite complendas.

---

[73] S. C. de Rel., *Resp.* 1 mart. 1915, ad I (AAS, VII (1915), p. 123-124; *Ench. de St. Perf.*, n. 285).

In sua bimillenaria activitate legislativa, Ecclesia saltus non facit neque abrupte leges iam latas abolet aliisque substituit, sed generatim, nisi aliud in nova lege caveatur, leges posteriores ad priores trahit et his, quantum fieri possit, conciliat (c. 23). Ratio est quia plerumque leges posteriores ex prioribus proveniunt, cum eisdem nectuntur, easdemque ad unum redigunt, colligunt et suis temporibus accommodant [74].

Nova itaque lex, sive in parte iam promulgata sive in parte nondum edita, lex una est, et integra applicanda erit omnibus perfectionis Statibus clericalibus, Religionibus nempe, Societatibus vitae communis et Institutis saecularibus tam personaliter quam territorialiter, salva expressa cautione contraria; imo et clericis institutorum natura sua laicalium; non autem, per se, institutis ipsis laicalibus, nisi quatenus directivam pro ipsis constituit circa ea quae institutionem religiosam et apostolicam generaliore ratione spectant (art. 16). Est enim nova lex *peculiaris*, uti diximus, Codex efformationis candidatorum qui ad sacerdotium in Statibus perfectionis adipiscendum contendunt.

Sola, denique, S. Congregatio de Religiosis potestatem habet authenticam Statutorum Generalium interpretationem nomine et vice Romani Pontificis, seu potestate vicaria, emittendi, nisi agatur de rebus gravioribus vel specialis momenti quae interventum directum Supremae Potestatis requirant; de qua gravitate et momento sola S. Congregatio iudicat (art. 17).

31. Executio Statutorum generalium et totius novae formationis legislationis quam maxime cordi sit S. Congregationi ostendunt gravissima verba art. 18 § 1. S. Congregatio poterit et rem cum

---

[74] Iuvat hic recolere praeclarissima verba Em. Maffi de Codice Iuris Canonici: « E osservo che questa è la grande gloria della Chiesa, che, per rivedere tutta la sua legislazione - che è di 20 secoli e di tutto il mondo - non ha dovuto nulla modificarvi di radicale, e solo l' ha dovuta ripulire e spolverare di ciò che le transitorietà umane, accidentalmente e in cose affatto secondarie, vi avevano introdotto! Ad altre leggi, fluenti da capricci personali, da ambizioni di partiti, da subite passioni, da violenze e sopraffazioni, a quest'altre leggi lo scherno di Dante, che le prevede non giungere a mezzo novembre sebbene filate d' ottobre; a quest' altre leggi, sulle quali, come sulle *gride* bolse e fiacche, può scherzare ogni Azzeccagarbugli, il motto volgare che deride; effimere come certe velleità che le ispirano e certe mani che le reggono, scompaiono non appena nate o neppure ben nate e svaniscono nell' oblio e nel disprezzo; non così, non tali le leggi della Chiesa, talvolta forse lamentate di qualche lentezza, ma sempre però vigorose e salde. Qualche ramo innestatovi dall' uomo, qualche nido collocatovi da un povero uccello di passo, qualche foglia ingiallita e disseccata potranno non reggervi alle raffiche e ne cadranno; ma l' albero sta » (*Presentando al mio clero il Codex Iuris Canonici*, Torino 1917, p. 8).

aliis Sacris Dicasteriis conferre et canonica media adhibere. Insuper, ordinaria media ad urgendam executionem Statutorum generalium sunt: 1) *Relationes periodicae* circa triplicem institutionis adspectum, nempe religiosum, clericalem, et apostolicum, iuxta elenchum a S. Congregatione praeparatum faciendae [75]; 2) *Inspectiones*, quae ad occasionem mittentur sive ad modum Commissariorum pro examinibus sive ad comprobandam aut complendam relationem sive ad negatia graviora praeparanda [76].

Praeterea, singula instituta sibi propriam efformare debent *Rationem* institutionis generalem quae, propriis necessitatibus accommodata, strictior esse potest, non largior, quam Statuta Generalia, quaeque quantocius S. Congregationi pro approbatione submittenda est.

Etiam provinciae, regiones, domus sui iuris possunt habere propriam studiorum Rationem sub Ratione generali, quae a Superioribus generalibus cum suis consiliis recognoscenda et approbanda est, quaeque etiam S. Congregationi submittenda est.

Ab harum Rationum sive generalium sive particularium articulis, data necessitate, dispensare possunt supremus instituti Moderator aut provincialis aut abbas sui iuris, respective. At mutationes, si quae addi Rationibus iam S. Congregationi exhibitis contigerit, S. Sedi denunciandae sunt; imo, si agatur de mutationibus vere gravibus, ut v. gr. de suppressione vel adiectione disciplinae vel cursus, denunciatio S. Sedi debet applicationem mutationis praecedere (art. 19).

Denique (art. 20) Superiores constituere debent specialem Commissionem vel Officium in Curia generali, et opportune etiam subordinatam Commissionem subordinatumque Officium in Curia provinciali et domus principalis efformationis, cuius erit curam gerere omnium quae ad alumnorum institutionem spectant, sive quoad adscriptionem subiectorum, eorumque dimissionem sive quoad nominationem et translationem professorum et moderatorum, sive quoad vigilantiam generalem.

Tandem, Superiores curare debent ut in qualibet domo efformationis suae ditionis pars huius legislationis Superioribus et alumnis publice quotannis perlegatur et opportuna exhortatione explicetur, quae illam peculiarem domum concernit. Ita v. gr. in schola

---

[75] Huiusmodi elenchum proxime edendum relationem triennalem praevidet a Superioribus provincialibus vel generalibus S. Congregationi de Religiosis faciendam.

[76] Quantum scimus, in animo est S. Congregationis in Commissione de studiis officium permanens constituere Visitatoris pro domibus efformationis candidatorum ad sacerdotium.

apostolica quae de schola apostolica, in novitiatu quae de novitiatu agit et ita porro, perlegi debent et explicari initio cuiuslibet anni scholaris.

32. Pars II de illis, quae institutionis operae et cursui communia sunt, agit, tribus titulis (IV-VI) et 14 articulis distributis (21-34).

Et primo quidem de variis institutionis sedibus (Tit. IV, art. 21-23).

Porro, sedes ordinariae institutionis sunt scholae apostolicae seu Seminaria minora religiosa, domus novitiatus, domus vel collegia seu Seminaria maiora religiosa et domus vel collegia pro formatione pastorali vel ministeriali (art. 21 § 1) [77].

Iam ex Codice, quaelibet Religio habere debet propriam domum studiorum excolendorum praesertim philosophicorum et theologicorum (c. 587 § 1); decet etiam ut quaelibet provincia eamdem habeat nisi plures provinciae uniantur ad scholasticatum communem habendum (c. 587 § 3), ad oeconomiam dumtaxat et ad meliorem condidatorum probationem.

Correspondentes scholae, in huiusmodi sedibus rite instructis ad normam Statutorum erectae aut adoprobatae, sunt scholae publicae, religiosae, ecclesiasticae, non secus ac scholae Seminarii dioecesani tum minoris tum maioris.

Insuper, Capitula vel Superiores, iuxta Constitutiones (c. 587 § 1 et 3), possunt erigere alias sedes efformationis speciales, ad superiora studia excolenda vel ad specialem efformationem perficiendam (art. 21 § 2); quae sint generales, internationales, interprovinciales, provinciales, locales (art. 21 § 3), proviso tamen ne absque vera causa sedes huiusmodi multiplicentur cum detrimento serietatis operis educationis et institutionis (art. 21 § 4).

Cum autem quandoque, praesertim in parvis institutis, difficile sit, tum ob expensas tum ob deficientiam professorum et adaequati numeri alumnorum, studiorum domus erigere, alumni ad studia

---

[77] Semel pro semper notamus, ex Commissione Cardinalitia diei 14 nov. 1955 vox *seminarium* adhiberi posse etiam ad designandas domos religiosas studiis excolendis pro candidatis ad sacerdotium destinatas, sicut iam large et abunde fit. Ad bene autem distinguenda seminaria dioecesana, interdioecesana, regionalia, nationalia ab his domibus religiosae institutionis et formationis, semper adiectivus qualificativus adiungi debet: seminaria *religiosa*. Differentia iuridica inter seminarium dioecesanum et scholasticatum Statuum perfectionis perbelle ostenditur a G. Bolduc (*Les Etudes dans les Religions Cléricales*, Washington, 1942, p. 41-44). Cfr. etiam S. Pius V, Const. *Romanus Pontifex*, 3 oct. 1567 (*Ench. de Stat. Perf.* n. 104).

proprie excolenda mitti debent ad aliam studiorum sedem etiam alius instituti vel ad seminarium dioecesanum [78] vel ad publicum catholicum athenaeum [79]. Id quoque contigit si quando scholae internae requisitis ab Ecclesia conditionibus, subsidiis, instrumentis (art. 23 § 2) ornatae non habeantur (art. 23 § 3).

Novas autem studiorum sedes erigi, immutari aut existentes supprimi non licet nisi ex interventu gubernii centralis et sub eius vigilantia. Quaelibet insuper erectio aut immutatio fieri debet decreto scripto formali, quod, iam a gubernio centrali saltem adprobatum, S. Congregationi exhibendum erit. Interventus gubernii centralis requiritur etiam in congregationibus canonicalibus aut monasticis, ad cautionem serietatis dumtaxat. Quare, in hoc, ut supra diximus, absoluta independentia domorum sui iuris aliquatenus imminuitur. Interventus autem Apostolicus characterem publicum scholis internis adiungit confertque. Omnino evitanda est erectio sollemnis sed *palliativa* domorum studiorum, quae convenientibus subsidiis didacticis, apta bibliotheca, aliisque instrumentis necessariis aut valde utilibus carent. Non tamen requiritur ut omnia absolute et undequaque completa ante erectionem habeantur; sufficit ut initio quae saltem necessaria sunt habeantur et Superiores serio sibi proponant quanto citius ea complere quae complenda sunt. Denique, iam ante erectionem Superiores aptos moderatores et magistros provideant et in promptu habeant ut in noviter erecta studiorum sede immediante collocent. Non tamen requiritur ut immediate habeantur quotquot sunt necessarii magistri, necessariis dotibus et peritia ornati, ex eodem instituto sumpti: etiam extranei, sive clerici sive optimae famae laici, vocari possunt ad peculiares, prout casus ferat, disciplinas docendas. Providendum quoque est ne desit congruens alumnorum numerus, tum ad oeconomiam servandam tum ad aemulationem inter alumnos promovendam.

Aedificia etiam apta et satis commoda requirenda sunt; ampla scil., quae sufficiant sive ad vitam ducendam sive ad scholas habendas sive ad manifestationes culturales tenendas (dormitoria, aulae, aula magna, etc.); salubria, ne sanitati adulescentium praeiu-

---

[78] Ex charactere *publico* scholarum internarum Statuum perfectionis possibilis fit transitus ad scholas Seminarii diocesani vel alius Religionis eiusdem gradus, et viceversa.

[79] Athenaeum dicitur simpliciter *catholicum* scil. in quo catholice docetur, non *ecclesiasticum* scil. ab Auctoritate ecclesiastica rectum. Siquidem, ad studia profana excolenda difficile est invenire athenaeum ecclesiasticum, et quandoque e contra etiam facultates sacrae sive theologiae sive philosophiae scholasticae sive iuris canonici universitatibus laicis sed catholicis, consentiente Apostolica Sede, adnectuntur.

dicium afferatur; a commixtione mundana prudenter segregata, ne saluti animarum aut culturae vocationum noceatur; apta bibliotheca instructa, quae certis saltem horis per diem omnibus pateat, cum convenientibus aulis pro professoribus et alumnis, cum adnexis « seminariis » quae dicuntur et scientifica musaea, laboratoria, ergasteria v. gr. physicae, chemiae, mineralogiae, geologiae, psychologiae experimentalis, anthropologiae, ethnicae, astronomiae, didacticae, catecheticae, etc., in quibus, duce magistro, alumni propriam culturam, iuxta indolem instituti et gradum scholae, complere valeant [80].

34. Titulus V de institutionis moderatoribus, praefectis, magistris, cooperatoribus septem articulis (art. 24-30) agit.

Optime in memoriam revocant Statuta Generalia quae iam in Codice praescribuntur circa collocationem subiectorum in domibus institutionis (cc. 554 § 3, 587 § 2). Inde tantum veri animorum formatores et plasmatores recognitae virtutis et aptitudinis seligendi sunt pro istiusmodi domibus, ne totum institutionis opus detrimentum capiat sive ex ineptitudine moderatorum, magistrorum aliorumque, sive ex eorum levitate aut inobservantia, aut exemplo. Peculiari cura seligendi etiam sunt confessarii et moderatores spirituales « quorum partes in alumnorum institutione plurimi sunt faciendiae » (art. 24 § 2) [81].

Porro, omnes isti documentis, titulis, diplomatibus, pro speciali aptitudine ad tantum opus, pollere debent (art. 25 § 1) et ita virtutibus ornari ut optimi quique reputentur (art. 25 § 4); nominandi autem sunt, iuxta ius particulare (art. 25 § 2), vel a Superiore generali aut a Consilio generalitio praevio auditis Superioribus maioribus immediatis eorumque Consiliis, vel a Superiore maiore immediato cum suo Consilio, praevio adsensu aut saltem nihil obstat Superioris generalis (art. 25 § 3).

---

[80] Nota, insuper, iuxta mentem Statutorum Generalium, omnem domum Statuum perfectionis apta bibliotheca instrui debere, non solum illas, quae ad studia peragenda principaliter destinantur (art. 23 § 2, 3).

[81] Non raro evenit ut pro munere confessarii et directoris spiritualis vir eligatur qui ad aliud opus incapax recognoscitur. At gravissima premuntur responsabilitate Superiores hac in re; vigilanter enim ad oeconomiam domus curandam inexpertum insanumque non ponunt. Omnino ideo arcendi sunt a munere confessarii leves, scrupulosi, haud recto pollentes iudicio, non aequilibrati, in castitate servanda claudicantes, in observantia religiosa desides, commodis vitae indulgentes, mente exhausti. Animi educatio valde momentiosior est quam intellectualis instructio aut externa formatio. Et quandoque, pro dolor! confessarii inepti irreparabile damnum spirituale alumnis afferunt. Quod contra Superiores absque dubio vertitur.

Tempus muneris a iure communi vel particulari pendet (art. 26 § 1). Verum, qui bene munere funguntur, non debent facile mutari, ut v. gr. ad aliud munus etiam nondum transacto tempore, destinentur, cum id *saepe* in detrimentum operis institutionis vertitur (art. 26 § 2). Solent quandoque Superiores professores et magistros ad munus praesertim directionis aut gubernii alius domus adsumere, relicto officio docendi. Porro, si agatur de superiore domus scholasticatus, hoc certe faciendum est transacto tempore, id Codice praecipiente. Etiam in casu quo professor practice non undequaque ad docendum aptus demonstretur, mutatio fieri potest. Sed S. Congregatio prohibet et negativam mentem suam ostendit quominus ad munus etiam Superioris alius domus vel provinciae adsumatur professor qui optimis qualitatibus ad docendum praeditus recognoscitur. Id tamen non absolute vetat, sed conscientiam Superiorum graviter onerat ne id fiat sine gravi et proportionata necessitate, ita ut imprimis maius bonum alumnorum intendatur et non commodum instituti (art. 26 § 3, 1). Professorum igitur amotio vel translatio aut ex ineptitudine practica paedagogica vel didactica, aut ex infirmitate vel provectiore aetate quae ipsos minus aptos ad fructuose docendum efficiat, aut ex agendi ratione, sive quoad doctrinam, ut si quis haeretica mente doceat aut opiniones temerarias tenet, sive quoad morum integritatem, ut si quis contra mores delinquat aut in proximo periculo versatur delinquendi, sive quoad disciplinam religiosam, ut si quis scandalo sit alumnis, iustificari debet (art. 26 § 3, 2 , 3). Non debent igitur Superiores in istis casibus in suo munere relinquere professores ita delinquentes aut in periculo delinquendi sub praetextu quod in scholasticatu melius claudicantes confratres possint vigilari et ita minus scandalo exponantur, cum hic agitur de optima formatione et institutione iuvenum, quae ars artium vocatur, quaeque delicatissimos poscit formatores.

35. Directio totius operis institutionis alumnorum respectivis Superioribus competit (art. 27 § 1), quibus onus imponitur rationem gestionis suae, statutis pro unoquoque gradu temporibus et modis, reddendi (art. 27 § 2). Porro, rationem reddere totius operis institutionis non dicitur qui defectus Superioribus aut attenuat aut silentio premit.

Magnum adiutorium in opere afferre possunt consilia, quorum duplex genus in art. 27 § 2 indigitatur: alterum nempe quoad regimen domus quod iure communi ordinatur, et alterum quoad regimen institutionis, in quo scil. speciatim agatur de profectu sive in virtute sive in studiis singulorum alumnorum deque ratione stu-

diorum et institutionis in genere. In quolibet consilio sive conventu forum internum singulorum alumnorum affici non debet. Non prohibentur tamen confessarii, quatenus disciplinam aliquam doceant, et praefecti spiritus his conventibus participare, praesertim alterius generis, et propria suffragia in eisdem expromere circa ea quae externe videntur [82].

36. Circa magistrum novitiorum Statuta Generalia ad Codicem remittunt et ad ius particulare (art. 28 § 1, 1), quod, inspecta S. Congregationis iurisprudentia atque congrua congruis referendo, Societatibus quoque vitae communis et Institutis saecularibus extendunt (art. 28 § 1, 2), congruenter ad ea quae in commentario ad art. 16 disserebamus.

Maxime complexa est figura praefecti seu magistri spiritus (art. 28 § 2), dependentur a diversa praxi et traditione singulorum Statuum perfectionis. Ideo S. Congregatio summa tantummodo attigit, quae omnibus convenire possunt, sanam libertatem opportune tuendo. Ita praescribit ut in omnibus studiorum clericalium sedibus sit semper munus praefecti spiritus, et si in domo diversae sectiones habeantur, unaquaeque sectio proprium spiritus praefectum habeat, qui, ex iure particulari, potest quidem esse ipse superior domus, quamvis munera iure sint diversa, dummodo sufficienter liber sit ab aliis occupationibus ut possit fructuose opus institutionis perficere alumnorumque educationem, formationem, directionem apprime curare, et dummodo a selectis confessariis et quandoque ab aliquo directore spirituali quoad forum mere internum, tam sacramentale quam intimae conscientiae, adiuvetur seu potius compleatur aut suppleatur. Revera, fusio fori interni et externi in Superiore locali multos bonos fructus produxit et quandoque etiam nonnullos malos. Ex consideratione ad nonnullos abusus peculiares, fusio huiusmodi hodie prohibita est. Quare, neque magister novitiorum confessarius novitiorum ordinarius esse debet, neque praefectus spiritus studentium. Sed hodie absolutum vetitum relativum factum est favore libertatis novitiorum et studentium. Ita nec excessiva sensibilitas fori interni favenda est, nec invasio fori interni toleranda; aequo igitur animo procedendum erit ne forum externum omnino dissecetur. Quidquid sit, distinguendus est praefectus spiritus a directore spirituali seminariorum dioecesanorum, qui munus delicate exercet tantum in foro interno sacramentali vel extrasacramentali, dum e contra praefectus spiritus potestates fori externi quoque habet et in scrutiniis circa clericos intervenire

[82] In scrutiniis melius maioritas considerabitur in comparatione ad numerum totalem vocalium quam ad numerum suffragiorum validorum.

debet, imo et opinionem suam ante Ordinationes clericorum proferre [83].

Munus praefecti spiritus valde generale manet in Codice (c. 588 § 1). Sed iam Clemens VIII [84] admiserat magistrum novitiorum posse etiam magistrum studentium professorum constitui. Proinde praefectus spiritus esset superior immediatus iuvenum professorum, veluti continuatio magistri novitiorum. Quapropter Statuta Generalia favorem demonstrant iuri particulari quod ad figuram magistri novitiorum ordinet et munus praefecti spiritus. Is itaque, dum libertatem respectat singulorum, singulis inculcet alicuius specificae vigilantiae necessitatem studentesque, aliquatenus saltem, regat atque modo saltem in Codice praescripto ad vitam religiosam informet. Eidem proinde neque officia neque excessiva onera imponi debent, quae eum ab officio suo avertant aut quomodocumque in eius exercitio impediant.

In adsumptione alicuius religiosi ad munus praefecti spiritus, si ex iure particulari negotium ad Superiorem generalem pertineat, hic opinionem Superioris provincialis vel localis circa eligendum exquirat; si e contra negotium superiori provinciali reservetur, hic debet consensum aut nihil obstat Superioris generalis, ante publicationem nominationis, obtinere.

Praefectus spiritus adiutores habere potest, si eis indigeat, sibi immediate subiectis, quibus applicantur cc. 559 § 2 et 3, 560.

Insuper, quoad forum mere internum et intimae conscientiae, ipse confessariis quoque et speciali directore spirituali adiuvatur, amice conatus componendo ut eorum omnium opera, quae ad eundem finem tendit, animos iuvenum religiosorum vere informet. Tum confessarii, tum, si adest, director spiritualis apti omnino esse debent; non quilibet ad tantum munus eligendi sunt, sed pii, docti, prudentes, aequilibrati, omnino securi. Confessarii, denique, numero sufficientes esse debent ad effectivam sodalium libertatem protegendam. Quodsi quis alumnus specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet ipsoque egere videatur, eum facile Superiores concedant (art. 28 § 3, 2). Siquidem, quandoque accidere potest ut quis inveniatur in aliqua perturbatione temporaria, in scrupulis, aliaque id genus difficultate. Tunc, ad animi sui quietem aut ad maiorem in via Dei progressum aut ad superandam diffi-

---

[83] S. C. de Relig., Instr. 1 dec. 1931 (AAS., XXIV (1932), p. 79): « Ad quod certius obtinendum testimonium exquirant magistri spiritus aliorumque, quibus ob specialem cum alumnis frequentiam horum vitam moresque pernoscere contigerit ».

[84] Const. *Cum ad regularem*, 19 mart. 1603, n. 20 (*Ench. de St, Perf.*, n. 132).

cultatem contingentem, is indigere potest confessario, cui maiore aestimatione maioreque confidentia ducitur. At Superiores invigilare opportune et delicate debent ne abusus irrepent.

37. Circa manifestationem conscientiae, Statuta Generalia c. 530 explicant et extendunt pro novitiis et clericis religiosis studentibus. Ecclesia, enim, dicunt, *cupientissimo animo desiderat* ut ipsi non solum Superioribus sed et praefectis spiritus animum fidenter aperiant: ipsi nempe libere et non coacte, et etiam ad personalem seu singulorum directionem religiosam et spiritualem. Ipsi proinde sciant se posse, ex mente Ecclesiae, proprium magistrum et praefectum spiritus sibi in spiritualem directorem adsumere, eisdem dubia quoque et anxietates conscientiae libere et ultro exponentes (art. 28 § 3, 1), etsi ius particulare in aliquo contradicat.

Revera, ex historia ecclesiastica, praesertim in Vitis Patrum, constat primis Ecclesiae saeculis plurium praxim fuisse ut se traderent Abbatibus aliisque viris sanctis in vita eremitica et in coenobiis, ad hoc ut vitam spiritualem discerent, et sub tantis magistris, ad quos motus passionum, tentationes, etc. cum sinceritate manifestabant, possent spiritus luctas cum victoriis perficere, et hoc modo contendere ad perfectionem evangelicam. Inde provenit consilium Codicis eiusdemque explicatio et extensio in Statutis Generalibus huius manfestationis veluti necessaariae vel saltem valde utilis ad vitae interioris progressum. Prima, quae in iure particulari hanc praescripsit fuit Societas Iesu [85]. Ipsa autem manifestatio conscientiae voluntaria esse debet, veluti ius imperfectum, cui scil. non correspondet obligatio. Non prohibentur tamen Superiores, ut ordo aliquis servetur, ad hiusmodi manifestationem subditos paterne invitare, dummodo ne quis cogatur [86].

38. Studiorum praefectus, cuius est de institutione intellectuali seu de instructione alumnorum curam habere, in singulis studiorum sedibus adesse debet (art. 29 § 1). Diversus esse debet ac praefectus spiritus ob diversitatem utriusque muneris. At in parvis domibus unice vel fere studiis excolendis destinatis, ipse domus Superior, dummodo utrumque officium convenienter exercere valeat, potest esse praefectus studiorum, scil. studiorum directionem habere, scholas et exercitationes curare, professoribus praeesse et disciplinam scholarem ordinare. Semper autem etiam praefectus studiorum potest disciplinam aliquam docere (art. 29 § 4); expedit imo ut id

---

[85] Cfr. Blat, *De confessariis Religiosarum* (*Angelicum*, 1935, p. 19 ss.).

[86] Cfr. Voltas, *De aperienda, directionis causa, Superioribus conscientia* (*Comm. pro Relig.*, 1920. p. 145ss.).

faciat ut sibi alumnorum aestimationem etiam quoad doctrinam melius conciliet; ob eamdem rationem convenit etiam ut ipse disciplinam principalem vel saltem e principalibus doceat. Vir esse debet doctrina et eruditione praestans non solum quoad disciplinam quam docet, sed etiam circa alia; imo aequilibratus, diligens et experientia studiorum ac collegiorum fulgens (art. 29 § 3). Ideo non immediate ac renuntiatus fuerit professor, potest etiam quis ad munus praefecti studiorum adsumi, etsi doctrina aliisque dotibus commendetur.

In exercitio sui muneris non est tamen independens, sed tum in disciplina generali domus tum in studiorum directione, subiectus manet superiori domus, cui alta directio et gubernatio totius domus competit (art. 29 § 2).

In eius designatione, si haec Superiori provinciali reservetur, is debet Superioris generalis adsensum aut saltem nihil obstat ante publicationem nominationis obtinere; si e contra, eumdem nominare ad Superiorem generalem pertineat, is ne agat nisi audito Superiore provinciali (art. 29 § 5).

De omnibus quae ad disciplinam et studia referuntur, statis temporibus, iuxta ius particulare, ipse rationem reddere debet Superioribus quibus pertineat. Dispositiones praeterea Officii generalitii vel provincialitii (art. 20 § 2) observare ipse tenetur atque eorum observatiam curare. Ipse quoque conficere potest relationem periodicam ad S. Congregationem, a Superioribus rite examinatam et subsignatam, mittendam (art. 18 § 2, 1) atque curare debet ut in domo, in qua studiis praeest, et pars Statutorum Generalium quotannis publice perlegatur, atque professoribus et alumnis explicetur, quae gradum peculiarem studiorum specifice concernit (art. 20 § 3).

39. Etiam professores et magistri pro scholis internis optimi seligi debent, consequenter ad praeceptum Codicis ut, in domo novitiatus (c. 554 § 3) et studiorum (c. 587 § 1), il collocentur sodales qui exemplo sint tum observantia religiosa tum virtutibus tum, in casu, etiam doctrina (art. 30 § 1). Professores proinde debent esse prae primis in specifica vocatione securi, in virtute exemplares, in doctrina excellentes, maxime in disciplina ad quam docendam vocantur. Eorum competentia specifica ad docendum ex diplomate quo ornantur, cognoscitur. Siquidem, munus docendi exigit specificam competentiam publice recognitam tum technicam quoad disciplinam docendam, tum obiectivam et paedagogicam, quae selectione Superiorum probatur. Sed, plerumque, capacitas professionalis ex gradualibus experientiis dignosci potest, ut si v. gr. professores ex una ad aliam categoriam gradatim adscendant, ex gradu ad docen-

dum addicti (incaricati) ad gradum professoris extraordinarii et dein ordinarii.

Practice, igitur, ubi commode fieri potest, professores seligantur inter congruentibus diplomatibus instructos, quae tamen titulis internis recognitis aliisque attestationibus substitui possunt, et examini alicuius « concursus » qui dicitur, subiiciantur, sicut fit v. gr. pro respondentibus officiis civilibus et quandoque ecclesiasticis. Solus Superior generalis sua auctoritate nominare potest professorem qui vere et certe, ut ex experientia constet, idoneus est, etsi titulo academico careat (art. 30 § 2), nisi agatur de iis docendis disciplinis pro quibus specialis titulus lege praescribitur, ut v. gr. pro docenda disciplina S. Scripturae [87].

In exercitio sui muneris professores non debent officiis et oneribus extraneis aut scholarum excessivo numero onerari, ne scil. aut a studio avocentur aut a lectionibus praeparandis et dandis praepediantur. Non raro evenit enim ut professores in scholasticatu alia officia sibi cumulent, ut v. gr. continuatae praedicationis, directionis alicuius instituti praesertim sororum, et alia id genus. Quandoque etiam scholarum seu lectionum numero ita onerantur, ut tempus eis desit pro convenienti lectionum ipsarum praeparatione. Itaque, in cursu medio-classico lectionum numerus qui 20 per hebdomadam excedat, excessivus retinendus est; in cursu autem philosophico et theologico lectionum numerus 12 excedere non deberet.

Insuper, professores non debent disciplinas diversas, praecipue principales vel maxime inter se dispares docere; ad summum permitti potest ut professor disciplinae principalis aliam alteramve secundariam vel complementarem disciplinam, principali affinem, doceat (art. 30 § 3). Pro disciplinis itaque principalibus tot habendi sunt professores, quot disciplinae (cc. 1365 § 2, 1366 § 3).

Coeterum professoribus otia, subsidia (libri, instrumenta), occasiones suppeditentur, ut eruditionem suam augeant sive participatione ad congressus, si qui habeantur, sive studio privato, ita ut fructus eruditionis suae componere et publici iuris facere commode possint. Hoc sensu Statuta Generalia Superioribus imponunt ut generosi pro subiecta materia sint, atque hortantur ut conventus professorum periodici foveantur, utque ad tempus professores ipsi ab una ad aliam sedem eiusdem instituti eiusdemque gradus permutentur, ad sanam aemulationem excitandam et ad studiorum ardorem refovendum.

---

[87] Cfr. Pius XI, Motu pr. *Bibliorum Sacrorum*, 1 aug. 1938, pro necessitate Licentiae saltem in S. Scriptura ad illam disciplinam docendam.

Omnes denique professores ad opus integrae alumnorum institutionis amico foedere cum moderatoribus et praefectis concurrere debent, ut viros perfectos forment et suae aetatis atque peculiaris regionis apostolos (art. 30 § 4 et 5). Omnes enim educatores sunt

40. Titulus VI de alumnis deque ipsorum selectione et incorporatione per quattuor articulos (art. 31-34) disserit.

Imprimis « caveant omnino (Superiores) ne festinanter neve gregatim adulescentes adsciscant, de quibus in incerto sit afflatune divino sanctissimam in Statibus perfectionis vitae rationem deligant. Quos vero, re diligenter perpensa, in tironum numerum cooptarint, sedulo curent ut ii proprium Patris legiferi effingant ingenium constanterque retineant; et in primis animi demissionem praebeant et obediendi virtute fulgeant, nulla rei obedienter faciendae ratione quaesita, nulla mora tergiversando interposita » [88]. Generaliter, insuper, observent quae c. 538 praecise praescribuntur (art. 31 § 1).

Diligentissime proinde Superiores animum atque voluntatem eorum explorent, qui ad novitiatum (art. 33) vel professionem (art. 34) admittendi erunt, nec quemquam recipiant, aut profiteri nullo modo permittant, nisi de *divina* eius vocatione, atque etiam perseverandi voluntate, non obscura sed perspicua argumenta habuerint, licet pauciores futuri sint religiosi [89]. Ideo ad scholas apostolicas admitti possunt qui *genericae* vocationis signa, dederint, ad novitiatum vero qui *specificae*, scil. pro determinato instituto (art. 31 § 2), ita ut illi tantum ad religiosam professionem admittantur, qui tirocinio rite posito, ea dederint verae vocationis signa, ut iudicari merito possit, ipsos non alia de causa religiosam vitam amplecti, nisi ut Deo unice vivant, et suam atque aliorum salutem, pro cuiusque instituti ratione, procurare possint [90].

In vocationum promotione media in primis adhibenda sunt supernaturalia, ut fervida oratio, fulgens exemplum sanctitatis atque ardens zelus apostolicus (art. 32 § 1). His principalibus mediis accedant oportet et media a *Pontificio Opere primario religiosarum vocationum* indicata [91] et illa quae sana experientia in singulis Sta-

---

[88] Cfr. Pius X, Ep. ap. *Cum primum*, 4 aug. 1913 (AAS., V (1913), p. 388; *Ench. de St. Perf.*, n. 279).

[89] *Conc. Provinciale Burdigalense* a. 1583. cap. XXV (*Ench. de St. Perf.*, n. 112). Cfr. etiam *Clemens VIII*, Const. *Cum ad regularem*, 19 mart. 1603, n. 6 (*Ench. de St. Perf.*, n. 132).

[90] Pius IX, Litt. Enc. *Nostis et Nobiscum*, 8 dec. 1849 n. 26 (*Ench. de St. Perf.*, n. 190).

[91] Pius XII, Motu pr. *Cum supremae*, 11 febr. 1955 (AAS., XXXXVII (1955), p. 266); S. C. de Relig., 11 febr. 1955 (AAS., XXXXVII (1955), p. 298 301).

tibus perfectionis cum fructu adhiberi solita sunt (art. 32 § 2). At omnino excludenda sunt media et industrias quae Statum perfectionis dedeceant aut candidatorum libertatem coarctent (art. 32 § 3). Textus generice loquitur. Sed sunt casus in quibus ad scholas apostolicas gregatim omnes quotquot inveniuntur pueri etiam nulla omnino signa vocationis referentes admittuntur vel ex voluntate et ambitione parentum, praesertim pauperiorum, vel ex desiderio addiscendi ipsorum puerorum, qui semel in schola apostolica tum ex falso pudore tum ex opinione vulgi, tum ex ingenita timiditate non amplius eam derelinquunt etsi non vocatos se sentiunt, et perversis habitibus occulte implicati, ad sacerdotium temerarie pergunt. Porro ad tantum malum quo posse evitandum, Statuta Generalia libertatem vocationis apprime defendunt prohibentque ne quis a vita perfectionis quoquo modo arceatur aut ad eam capessendam compellatur (art. 32 § 4).

41. Specifice, in admittendis ad novitiatum requiruntur (art. 33): a) peculiaria genuinae vocationis *signa et motiva:* signa sunt indicia ex inclinatione naturali et indole, bona voluntate concurrente; motiva autem sunt causae, rationes, quibus quis inducitur ad vitam perfectionis capessendam; b) peculiares dotes sive morales, sive intellectuale, quae relationem dicere debent ad specialem vitam perfectionis amplectendam et ad statum seu conditionem candidatorum, c) aptitudo physica et psychica sive in genere, sive relate ad specificam vocationem; quae aptitudo etiam iudicio probati medici anamnestico atque diagnostico comprobatur. Hoc medici iudicium in scheda personali condidati, quae iam in schola apostolica efformata fuit, adnotari debet, post novam et accuratam corporis inspectionem. Practice, igitur, Superiores scholae apostolicae curent ut exquirantur a parocho candidati notitiae confidentiales de familia, de sanitate, de absentia in familia morbi hereditarii, aliisque id genus; notitiae ita collectae iudicio medici supponantur, qui candidatum quoque accurate visitet; efformetur schedula personalis, cuius exemplar ad curiam provincialem vel generalem mittatur, et in qua adnotetur etiam quaelibet notitia nova in subsequenti visitatione subiecti obtenta (cf. art. 34 § 1).

Haec, evidenter, illis aliis superadduntur quae ex iure communi et particulari proveniunt.

In admittendis ad primam et subsequentes professiones usque ad perpetuam et in provehendis candidatis ad Ordinationes, probationes, perscrutationes, examina iteranda sunt, et scheda medicalis complenda (art. 34 § 1). Quod si in aliquo gradu probationis de candidati idoneitate prudens, scil. non spernendum, supersit du-

bium, tunc nullo modo candidatus ad definitivam incorporationem seu professionem perpetuam, praesertim ad sacros Ordines recipiendos admitti potest, sed dubium expellendum est omni ope, praesertim probationem prorogando; si nihilominus dubium perstet, nec certitudo moralis habeatur circa castitatem, tunc sodalis est dimittendus, vel ad summum, ad classem inferiorem est transferendus, scil. a classi clericorum ad classem fratrum laicorum (art. 34 § 2).

Dubium est suspensio assensus inter opposita; prudens dicitur si practicum, non theoricum neque ficticium est. Legitimus Superior non solum ius, sed etiam officium habet non promovendi clericum de cuius idoneitate positive, non tantum negative, non constat (c. 2222 § 2). Novum quid est translatio sodalis ad sacerdotium inidonei ad classem laicorum, si saltem bonus laicus religiosus fieri potest. Translatio autem fit servatis de iure servandis.

Meminerint Superiores Pium XI dicere solitum esse melius esse 10 sodales ex exaggerata prudentia non promovere, quam unum tantum inidoneum ex exaggerata indulgentia inter pastores gregis Domini admittere [92].

Quare, S. Congregatio opportune et gravissime monet ut Superiores haud faciles se ostendant in petendis dispensationibus quoad tempus novitiatus etiam secundi anni, quoad aetatem ordinandorum, et quoad studia publice peragenda (art. 34 § 3). Ceterum, si sacerdotes serius ordinarentur in aetate paulisper provectiore ex aucto numero annorum curriculi philosophici et theologici, forsan, generaliter loquendo, decresceret numerus defectionum et augeretur zelus sacerdotum!

42. Pars III de institutione religiosa clericali apostolica singillatim quinque titulis (VII-XI) et 19 articulis (35-53) agit.

Proinde, titulus VII de institutione religiosa tractat quae incipere debet iam in schola apostolica et in praenovitiatu (art. 35), profundas radices iacere in novitiatu seu prima formali probatione (art. 36-37), exerceri et augeri perdurantibus votis temporariis (art. 38) et gradatim compleri post professionem perpetuam (art. 39) et in toto studiorum curriculi (art. 40).

Porro, in schola apostolica potius vir formatur, humane, moraliter, socialiter, christiane. Inde alumni non debent ut novitii haberi, novitiatus disciplinae et exercitiis pietatis et mortificationis subiecti; non debent omnino a saeculo segregari et veste re-

---

[92] Cfr. Conc. Prov. Burdigalense, a 1583 cap. XXV *(Ench. de St. Perf.,* n. 112).

ligiosa iam induti ad propriam familiam mitti. Convenit enim ut ipsi laicales adhuc vestes deferentes, prudenter, tempore feriarum praesertim, apud proprios parentes se conferant et in omnibus habeantur sicuti boni et serii iuvenes eorum aetatis qui Statui perfectionis non necessario destinantur (art. 35). Quapropter detur eisdem facultas corporis exercendi, hygienicis praeceptis et christianae urbanitatis legibus imbuantur, ut ad civile vivendum, non solum qua liberaliter eruditi sed etiam qua humane et socialiter educati, corpore et mente fiant apti.

Siquidem christiana religio sano corporis cultui et moderatis vitae civilis commodis non contradicit, praetendens quod corpus sit in servitutem redigendum continua mortificatione ut spiritus exaltetur. Ecclesia excessus et exaggerationes semper condemnavit, de quibus excessibus iam medicus Galenus dixerat: « Ars gymnica ad sanitatem periculosa est »; sed pari constantia semper moderatum corporis exercitium, etiam per artem gymnicam, fovit. Evidenter damnandae sunt aberrationes acrobaticae, boxisticae, et similia. Sed ars gymnica, quae favet sanae musculorum et corporis harmonicae evolutioni, sanitati certe confert et vires etiam spiritus evolvit ac roborat, iuxta effatum: mens sana in corpore sano. Similiter doceantur alumni munditiem corporis et vestium curare; educatos, suae aetatis eruditos et in conversando comites socialiter se praebere; non rudes et incultos, non timidos, non vanos, non turbolentos, sed sicut bonos et serios iuvenes eorum aetatis, aestimatione et spiritu altioris vitae imbutos.

Quam sapienter sit haec regula ex eius fructibus patet. Nonnulli enim viri perditi hanc excusationem proferunt, se scil. omnino iam in tenerrima aetate veluti a saeculo avulsos fuisse, mulierem omnino detestare doctos ideoque vehementibus passionibus subite insurgentibus non restitisse.

43. Annus canonicus novitiatus prouti in Codice praescribitur transeundus est, simul, ad mentem S. Congregationis, ipse deberet esse veluti complementum studiorum mediorum. Non est quidem in annum scholarem computandus, sed admittere potest repetitiones et practicas exercitationes eorum quae in iam in schola habita sunt, per lectiones etiam quotidianas, ut facultates intellectivae in exercitio semper maneant, opportune selectis textibus sive quoad linguam patriam sive quoad linguas latinam et graecam (art. 36 § 1).

Iam Decretum *Ad explorandum* [93], considerato quod, experien-

[93] 27 aug. 1910 (*Ench. de St. Perf.*, n. 267).

tia teste, assiduis pietatis officiis, licet opportune variis, adulescentium praesertim defatigatur mens, et ad continuos per diem religionis actus minus intenta affertur plerumque voluntas, et e contra moderata aliqua studiis adsignatio novitiis non parum utilitatis affert, ne dediscant quae didicerunt ac se ostendant quales sint ingenio, idoneitate et diligentia, unam horam singulis diebus studio proprie dicto novitiis dedicare permiserat, terque per hebdomadam lectionibus interesse pro lingua patria, latina et graeca praesertim, speciali habito respectu ad litteraturam patristicam et ad graecum neo-testamentarium.

Sacra Congregatio favet praxi alterius novitiatus anni sive iam instituti sive instituendi, dummodo: a) primus, pro regula, sit canonicus [94]; b) Superiores non habeant facultatem novitiatus tempus etiam alterius anni coarctandi; c) novitii in altero novitiatus anno etiam data opera studiis incumbere possint et ministeriis Religionis institui; d) sed semper sub potestate magistri maneant et, si ipsi extra domum novitiatus degunt, cum magistro liberum commercium epistolare habeant et sub vicemagistro, qui ad magistrum de singulis referat, formationem spiritualem perficiant (art. 36 § 2).

Huiusmodi autem normae directivae habentur pro Societatibus vitae communis et pro Institutis saecularibus, salvo iure particulari (art. 36 § 3).

Methodus in formatione novitiatus adhibenda describitur in art. 37. Sed gravissimae sunt omnino considerationes quae in § 3 habentur. Psychologice et paedagogice nimius rigor vires vere frangit vel extenuat, et nimia benignitas naturae indulgens animum debilitat. Via media igitur procedendum est et prudenter invigilandum ne physicae novitiorum sanitati praeiudicium afferatur. Providendum, insuper, omni cura est ne ea quae ad sustentationem sunt deficiant, cum animorum spiritualibus intentorum excessiva defatigatio saepe corporis sanitati noceat.

44. Expleto novitiatu, emittitur prima professio temporaria, quae, generatim, ad triennium completum et continuum perdurare debet, sed potest in annos dividi, imo et prorogari tum ex iure communi si aetas ad perpetuam professionem emittendam requisita longius distet, tum ex iure particulari quod prorogationem ad aliud triennium imponere potest, tum etiam ab homine cum Superior habeat hanc potestatem ex c. 574 § 2. In quocumque casu periodus votorum temporariorum, salvo privilegio aut dispensatione

---

[94] PCC., 12 febr. 1935 (AAS., XXVII (1935), p. 92s.: *Ench. de St. Perf.*, n. 366).

apostolica, sexennium superare nequit (art. 38 § 1). Porro hoc tempore institutio spiritualis continuari debet; imo nova eiusdem periodus prima professione incipit et iam iuvenibus religiosis datur: ideo progrediens esse debet et novae sodalium conditioni accommodata.

Hoc novum tempus sexennalis seu triennalis experimenti etiam illis Statibus perfectionis conceditur in quibus vota perpetua non emittuntur neque vincula perpetua contrahuntur, ita ut ad incorporationem definitivam deveniri non possit nisi eo transacto (art. 38 § 2).

Quo igitur novo tempore experimenti praeterlapso, si candidatus certe vocatus, solide pleneque instructus atque undequaque probatus ostendatur, ad professionem perpetuam immediate et opportune parandus est a praefecto spiritus vel ab alio speciali instructore. Ex mente S. Congregationis, haec praeparatio, etsi non absolute obligatoria, fieri deberet in *renovato novitiatu* per annum vel per semestre vel saltem per breviorem anni partem, scil. ad minus per bimestre (art. 39 § 1). Revera, hic renovatus novitiatus novum quid est in iure. Nemo autem non videt magnam utilitatem eiusdem, praesertim in iis sodalibus qui, ex interruptione studiorum (cfr. art. 13 § 1), iam extra domum formationis per triennium fuerunt et magnam habent necessitatem recollectionis antequam professionem perpetuam emittant et studia theologica incipiant. In institutis docentibus possent omnes candidati ad professionem perpetuam, expleto anno scholastico, tempore vacationum, simul colligi in domo apta sub prudenti moderatore ut apte se praeparent ad vota perpetua emittenda.

Etiam emissa professione perpetua, vel vinculis definitivis contractis (art. 39 § 3), institutio et spiritualis exercitatio non sunt intermittendae vel relaxandae, sed potius novae conditioni sodalium opportune aptandae, usque ad plenam maturitatem (art. 39 § 2).

45. Toto studiorum cursu institutio religiosa et clericalis alacriter continuanda, aptanda et perficienda est. Locus prae primus aptus esse debet; in quo perfecta vigeat vita communis et observantia religiosa; alumni aliquo modo separari debent a coeteris qui studiis non incumbunt (art. 40 § 1); spiritum clericalem theorice et practice addiscant, virtutes sacerdotales exerceant; amorem erga Ecclesiam, sacram Hierarchiam, Romanum Pontificem foveant. Praescriptio nova, sed practice iam in pluribus institutis usitata, est festum peculiare Papae, quod optime celebrari poterit veluti, uti dicitur, « giornata di studio » per esercitationes et elucubrationes aut disputationes de Romano Pontifice et de Ecclesia (art. 40 § 2).

Insuper, in spiritu orationis perficiantur alumni (art. 40 § 3), et studiis impigre, recto mentis consilio et animi puritate enixe vacent, non solum in iis quorum immediatam utilitatem ipsi vident vel ad quae inclinatione naturali tendunt, sed etiam in aliis, ut eorum cultura sit completa (art. 40 § 4). Imo pergant etiam in formatione viri perfecti sui temporis ut postea uberiores fructus amabilitate sua in apostolatu consequantur (art. 40 § 5).

Tam cordi Ecclesiae est bona intellectualis instructio clericorum ut gravissimis verbis Superioribus imponat ne alumni toto institutionis tempore aliis occupationibus vel distractionibus onerentur, quibus a studio avocantur vel in formatione et recollectione morali impediantur (art. 40 § 6); e contra eisdem Superioribus facultatem concedit non solum a Regula in singulis casibus dispensandi, sed ipsam etiam Regulam emolliendi, quoties id studiis excolendis necessarium videatur (art. 40 § 7).

Distractionum huiusmodi prohibitarum exempla indigitantur: periodicorum immoderata lectio, nimiae vel ad libitum auditiones radiophonicae, immoderata servitia ministeralia in paroeciis tempore praesertim quadragesimae aut missionum.

Revera, S. Pius X severe et districte omnino vetaverat « diaria quaevis aut commentaria, quatumvis optima » [95]. Sed mens Papae a S. Congregatione Consistoriali explicatur his verbis: « Nihil vetat quominus Superiores Seminarii aut magistri, si agatur de quaestionibus scientificis, legant alumnis aut legendos articulos in sua praesentia tradant eorumdem diariorum et commentariorum, quos ad alumnorum instructionem utiles vel opportunos censent » [96]. Et pergit permittendo ut commentaria, in quibus nil contentionis continetur, sed notitias religiosas, ad fovendam fidem et pietatem utiles, praemanibus alumnorum relinqui possent.

Codex prohibitionem non refert; unde nonnulli canonistae eam abrogatam retinuerunt. Verum S. C. de Religiosis, instructione data [97], prohibitionem his verbis renovavit: « Alumnos ab illorum librorum aut ephemeridum lectione, quibus a bonis studiis praepediri utcumque possent » Superiores arceant.

Prohibitio adhuc manet sed valde emollita, prohibetur nempe *immoderata* periodicorum lectio. Verum, emollimentum non est circa periodica de re politica aut de re theologica controversa.

Neque per se prohibitum est auditionibus radiophonicis quan-

---

[95] Motu pr. *Sacrorum Antistitum*, 1 sept. 1910 (AAS., II (1910), p. 668; *Ench. de St. Perf.*, n. 268).

[96] Ep. *Eminentiae Vestrae*, 20 oct. 1910 (AAS., II (1910), p. 855-856).

[97] Instr. *Quantum Religiones*, 1 dec. 1931 (AAS., XXIV (1932), p. 74-81; *Ench. de St. Perf.*, n. 363).

doque et ex permissione Superiorum indulgere; tantum *nimiae*, ne tempus studiorum inutiliter teratur, et ad *libitum*, ad moralia pericula vitanda, auditiones prohibentur [98].

In aliquibus studiorum domibus mos invaluit alumnos in dominicis et festis de praecepto ad determinatas paroecias loci mittendi, qui catechismum pueros doceant et in functionibus sacris partem habeant. Iidem alumni, vel omnes simul vel singuli vel bini, solent, ad petitionem parochorum, idem facere tempore quadragesimae, praesertim in Hebdomada Sancta et in aliis circumstantiis, sive ut catechismum pariter doceant sive principaliter ut ad altare serviant aut in functionibus cantent. Notamus quandoque id eveniri ex exaggerata interpretatione Constitutionum. Sed indubitanter ex facto alumni et defatigantur et spiritu distrahuntur. Quare, S. Congregatio mentem suam opportune aperit, id semel vel bis fieri quidem posse, non vero frequenter, ne indigitata mala reapse verificentur.

46. Titulus VIII De institutione clericali generatim per duos articulos (art. 41-42) agit.

Et imprimis de ratione publica institutionis clericalis (art. 41). Post ea quae superius diximus de charactere publico scholarum internarum Statuum perfectionis, pauca tantum hic dicenda remanent. Ratio publicitatis ex interventu, directo vel indirecto, Sedis Apostolicae, recognoscitur et actu formaliter publico inducitur. Studia ipsa clericorum Statuum perfectionis requirunt ut tamquam studia clericalia et religiosa publice adgnoscantur, sive ad eruditionem publice comprobandam, sive ad praeparationem ad sacros Ordines recipiendos. Ideo Sedes Apostolica ea legitima habet et sollemniter recognoscit, non secus ac studia in seminariis dioecesanis peracta. Inde consequitur posse alumnum a schola interna ad scholam seminarii eiusdem gradus, et vicissim, transire, sicuti fit in diversis scholis statualibus iisdemque publicis. Quotquot igitur scholae internae, quae publice et legitime ad normam Statutorum Generalium erectae sint, quaeque, pariter ad normam eorumdem, ordinentur et regantur, publicae sunt.

Ad bonam ordinationem et directionem harum publicarum scholarum pertinet ut peculiaris Ordo anni scholastici, proxima lex pro singulis studiorum sedibus, convenienti tempore paretur, quo determinentur, praeceptive et perspicue, dies lectionum et vacationum, examinum et sollemnitatum; materia tradenda pro singulis disci-

---

[98] Machina radiophonica vel televisiva sub custodia et vigilantia semper maneat Superiori domus, qui prudenter ad occasionem eius usum communitati studentium praebeat.

plinis; cui professori competat tractatio quaestionis quae ad plures disciplinas pertineat (art. 42 § 1-2). Ordo hic limites iam in Statutis Generalibus praefixos praetergredi non potest: a) annus scholasticus novem saltem integros menses complecti debet (art. 42 § 1). Hoc minimum est; longior quidem permittitur, non autem brevior. Sed in anno scholastico comprehendi possunt et immediata praeparatio ad Ordines et ad examina et examina ipsa, et tempus exercitiorum spiritualium quae sive initio sive in decursu sive ad exitum fiant, dummodo salvus sit et numerus minimus lectionum et numerus pariter minimus dierum.

b) Numerus dierum studiorum varius est pro diverso gradu curriculi et pro diversa natura scholae (art. 42 § 3):

1) Generaliter, sit circiter 180-200, quorum dies pleni, in quibus scil. ordinarius numerus lectionum per diem (4-5) habetur, sint circiter 150-170;

2) Ubi, ob speciales rationes, a Sancta Sede recognitas, biennium philosophicum et quadriennium theologicum in numerosiores annos distribuitur (v. gr. in Religionibus contemplativis), lectiones per diem pauciores esse possunt;

3) In curriculo pastorali 100 scholarum proprie dictarum dies minimum habeatur;

4) Dispositiones a. 1915 [99] circa interruptiones studiorum etiam non culpabiles renovantur, pro curriculis philosophico et theologico dumtaxat: interruptio trium mensium, sive continua sive intermissa, annum scholarem reddit invalidum; interruptio quae mensem, sive continuo sive intermisse, excedat, supplenda est per scholas privatas (art. 42 § 4). Ab interruptione Superiores facultatem non habent dispensandi, ne, alia consideratione ducti, abusus quandoque permittere possint. At in casibus vere gravibus, ut si v. gr. quis aegrotus non habeat spem cito convalescendi, vel pro clericis phtisi aliove morbo gravi actu laborantibus, possunt Superiores rem S. Congregationi exponere (art. 44 § 5, 3).

c) Ab Ordine statuto Superiores dispensare ordinarie non possunt; pro casibus particularibus, ut v. gr. pro concedenda vacatione determinata, Superior maior et, si casus vere urgeat, v. gr. in epidemia, pro aliqua circumstantia extraordinaria, Superior etiam localis dispensationem concedere valent.

Ordo insuper Ratione studiorum interna, quae modalitates examinum statuat, limitari quoque potest (art. 42 § 5).

Circa vacationes haec statuuntur:

---

[99] S. C. de Religiosis, *Responsiones*, 1 mart. 1915, ad 1 (AAS., VII (1915), 123-124; *Ench. de St. Perf.*, n. 285).

1) Coadunentur alumni in apta domo vacationum, in qua pietatis exercitia communiter faciant ne in spiritu defervescant;

2) studium privatum, etsi moderate, non intermittant; possunt etiam faciliores scholas, etiam moderate, frequentare;

3) commendatur quam maxime studium linguarum exterarum, quibus et in studio et in apostolatu valde adiuvari possunt;

4) possunt etiam artes exercere vel liberales vel materiales et, moderate et sub ductu experti magistri, apostolatui pro conditione sua attendere;

5) non debent, e contra, extra domum religiosam quasi ex regula mitti; non prohibentur tamen quominus singuli ad invisendos parentes brevi temporis spatio mitti possint; neque prohibentur excursiones, quae quandoque ad vires reficiendas vel ad instructionem complendam fieri solent, dummodo alumnorum religiosae disciplinae diligenter et satis perspiciatur.

47. Titulus IX de institutionis clericalis gradibus singillatim per quattuor articulos (art. 43-46) disserit.

Pro curriculo medio-classico haec statuuntur (art. 43 § 1):

1) Clerici studia media-classica peragant non inferiora quam quae iuvenes saeculares in unaquaque regione complent;

2) civilia testimonia seu diplomata de studiis peractis sibi comparent, si valeant [100];

3) si qua deficit disciplina in scholis statualibus quae in clerico necessaria est, v. gr. studium latini et graeci sermonis, haec supplenda est, tot annis quod requiruntur;

4) studia in scholis diversae rationis (v. gr. in scholis statualibus aut technicae, quae dicitur, rationis) peracta ex authentico testimonio vel ex praevio examine recognosci possunt, suppletis dein supplendis.

48. Revera, studa media-classica communiter apud nos dividi solent in gymnasialia et licaealia (art. 43 § 2). Recens est idea novitiatu praemittendi gymnasium, nempe post quintum vel quartum cursum. Ubi cultura non est classica, seu non fundatur in latino et graeco, supplendi sunt cursus integrativi ante novitiatum. At singula instituta possunt ius particulare sibi constituere, quo novitiatus peragendus sit post completa studia media-classica.

Iam a. 1934 hinc inde propositum ventilabatur ad 4 annos studia licaealia protrahendi duplici biennio dividendos: alterum littera-

[100] In aliquibus Statibus, v. gr. in Germania, diplomata civilia maturitatis classicae sunt documenta necessaria ut quis ad aliquod officium vel dignitatem evehi possit, v. gr. ut quis parochus nominari possit, ut Religionem doceat in scholis statualibus, etc.

rium-historicum cum principiis philosophicis praesertim de logica; alterum philosophicum-scientificum cum practicis exercitationibus litterariis [101]. Experimentum divisionis huius iam tempore anteacto factum est in Seminario Romano ad S. Apollinaris. Et revera hodie S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus quattuor annos pro cursu licaeali praescribit ut totus cursus harmonice compleat et studium classicum et studium philosophicum, ita ut alterum alterum non laedat. Ita fieri potest ut una hora qualibet de studio philosophico in disciplinis facilioribus consacretur per tres annos studiorum classicorum et quartus annus totus in studio philosophico insumatur; vel potest fieri opportuna divisio per biennia. Graviora problemata exsurgunt praesertim pro Statibus perfectionis docentibus, qui ad docendum titulis civilibus indigent, et ita numquam desinerent studiis incumbere.

Porro ad hanc conceptionem evidenter accedunt Statuta Generalia, quae, tamquam principium, imponunt biennium philosophicum (art. 44 § 1, 1) vel triennium (art. 44 § 1, 2); sed docent simul etiam in postremis saltem annis curriculi medii-classici (art. 43 § 2, 3) vel praecisius in ultimo anno (art. 44 § 1, 2) vel maiori adhuc praecisione, in duobus saltem ultimis annis (art. 44 § 1, 3), aliquas disciplinas philosophicas, saltem philosophiae introductionem, et proprie philosophiam scholasticam tradi posse. Quinimmo, ubi philosophia proprie scholastica in cursu licaeali vel saltem in duobus ultimis annis eiusdem ita tradatur ut complexive ad unum cursum e biennio philosophico contrahi possit, S. Congregatio sibi reservat facultatem permittendi ut unus tantum annus in studio solius philosophiae insumatur (art. 44 § 1, 3).

49. Art. 43 § 3 enumerat disciplinas quae docendae sunt in curriculo medio-classico: studium religionis, quod praecipuum est; studium linguarum patriae, latinae, graecae et unius alteriusve exterae; historiae, geographiae, mathesis, physicae, chemiae, scientiarum naturalium; insuper, exercitia scribendi dicendi, legendi, cantandi.

Studium linguarum, praesertim latinae et patriae, accuratum esse debet, non quidem ad fines commerciales et professionales tantum, sed ad finem formationis, quatenus lingua addiscatur veluti

---

[101] Audiatur cl. P. Dezza S. I.: « ...non si tratta di una « novità », perchè fin dal tempo di S. Pio X era stato stabilito che il corso degli studi degli aspiranti al sacerdozio dovesse comprendere cinque anni di ginnasio, tre di liceo, un anno di propedeutica alla teologia per completare la formazione filosofica e quattro anni di teologia ». (*Riforma del liceo classico-filosofico nei Seminari d'Italia*, Roma 1951, p. 4). Sed annus propedeuticus practice actuatus non fuit.

organum et instrumentum cogitationis, ut inde facile quis eam et intelligat et adhibeat. Nec sufficit grammaticam et synthaxim aut etiam vocabolarium plene addiscere; nam necesse est ut indolem linguae patriae et latinae penetrent alumni, spiritum noscant, elegantias gustent, vitam sentiant. Inde magistri et professores illis bene calleant oportet et methodice veluti manuducant alumnos ad mentes efformandas, ad eorum interesse escitandum [102].

Latini autem et graeci classici scriptores conatus nobis praebent humanae rationis erga verum, pulchrum, bonum, sed simul morales deficientias eiusdem ostendunt. Quare, professoris erit has deficientias corrigere auxilio doctrinae christianae in lectione Auctorum christianorum, iuxta spiritum et placita antiquae Scholae Alexandrinae, qui non minus eleganter quam pagani proprias expresserunt cogitationes et maxima cum superioritate morali. Non est enim credendum linguam latinam hodie esse in usu ecclesiastico deformatam et distortam Ecclesiaeque Patres reliquias exstare classicae decadentiae, cum sint e contra potentes fulgentesque expressiones novae civilizationis maestose exsurgentis atque in fundamento classico radices profunde iacentis. Lingua latina mortua non est nec facile moritur.

At paullo altius sermonem extollentes, dicamus etiam classicos Auctores non esse tantum Caesarem et Ciceronem. Sunt enim plures, quos optime possent in programmatibus nostris includi, ut Columella, Vitruvius, Cato, Varro, Plinius, Seneca, Tacitus, etc. Nec spernendum est vetus illud sapientiae romanae insigne monumentum, Ius Romanum scil., merito *ratio scripta* nuncupatum [103], quod praebet exprimitque quidquid solidius et magis permanens ingenium Romanum creavit. In eo facile semper erit professori intelligenti aliquid excipere interpolationis immune, ad vitam, indolem, praestantiam, institutiones Romanorum illustrandas.

Una cum studio linguae latinae deesse non potest studium linguae graecae, proportione quidem servata, utpote quae primum vehiculum extitit expansionis Evangelii et in ea etiam fontes traditionis plerumque hauriuntur.

Ad hoc necesse est ut ad sanam traditionem ecclesiasticam opportune fiat reditus, quae, etiam in docendo et in scholarum orga-

---

[102] Quid posset sapiens et bene instructus magister hac in re optime ostenditur exemplis primarum scholarum ad exitum saeculi delapsi a S. Iohanne Bosco fundatarum. Ibi enim iuvenes tertii cursus gymnasii quotannis, exercitii causa, scaenicas repraesentationes fabulasve latine confectas optime recitabant, adstantibus et admirantibus viris doctis et morigeratis.

[103] Benedictus XV, Const. Ap. *Providentissima Mater Ecclesia*, die festo Pentecostes, 1917 (initio Codicis I. C.).

rizatione, admodum divis est bimillenaria experientia, quod iam in coeleberrima Schola Alexandrina S. Pantheni propriam habebat formam organicam et plenam propriamque directionem, ut ex operibus illius magistrorum comperere licet [104]. Haec traditio in dies ditior semper fuit, maturata et aucta opera Patrum, Doctorum et Scriptorum ecclesiasticorum, praesertim apud monachos et religiosos. Inde inutile esset quaerere extra Ecclesiam, imo extra peculiarem religiosam Familiam, lucem, normas directivas, doctrinam, quae quidem ii, qui extra sunt, ab Ecclesia mutuarunt, praetendentes illa eadem suae esse inventionis, eaque quandoque deformantes et sensu ac spiritu christiano privantes. Ecclesia semper et ubique magistra extitit veritatis eamque omnes gentes methodice et generose docuit ac docet.

His rationibus mota, S. C. de Seminariis in nonnullis Ordinationibus [105] imponit in cursu medio-classico Auctores christianos ad linguam latinam proprie addiscendam, ut S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Leo Magnus pro oratione soluta; Prudentius, Venantius Fortunatus et Beatus G. B. Spagnoli pro oratione poetica. Ad linguam vero graecam addiscendam nominantur Auctores christiani S. Iohannes Chrysostomus et S. Basilius Magnus.

His pariter rationibus et exemplis ducta, S. C. de Religiosis vehementer [art. 43 § 3, 2)-3)] studium linguae latinae et graecae inculcat quoad litteras latinas classicas et christianas, ut saltem textus scholares facile intelligant utque traditionis fontibus uti fructuose suo tempore valeant alumni, quoad graecas vero, ut textus saltem S. Scripturae et Patrum legere queant.

Practice, attendenda sunt verba Pauli V: « ut, in promotione ad doctoratus gradus et ad alios sui Ordinis honores, illi religiosi coeteris paribus praeferantur, qui in cognitione (linguae latinae) profecerint » [106].

Alumni igitur deberent exercitia facere, quotidie vel fere, lectionis, scriptionis et elocutionis [107].

Tandem, relate ad Auctores linguarum modernarum, haec regula tenenda est: lectissimi praelegantur: neque ullo modo legantur

---

[104] Talia sunt, ut praecipua indicemus, Paedagogus Clementis Alex., De Catechizandis rudibus, De Doctrina Christiana, De Magistro S. Augustini: Epistola ad Laetam aliaque S. Hieronymi scripta paedagogica: Sermo S. Basilii ad adulescentes de scriptoribus paganis legendis, etc.

[105] Cfr. *Ordinamento dei Seminari*, Roma 1925; insuper, folia dactylographica s. d.

[106] Motu pr. *Apostolicae Servitutis*. 31 iul. 1610 (*Ench. de Stat. Perf.* n. 135).

[107] Id novitiis quoque consulit S. Pius X, Decreto *Ad explorandum*, 27 aug. 1910 (*Ench. de Stat. Perf.*, n. 267).

(nisi cum prudentia visum fuerit, in quibusdam excerptis), neque laudentur scriptores ad quos affici adolescentes absque periculo fidei aut morum non possint [108].

50. Methodus docendi in art. 43 § 4-5 exponitur.

Revera prima methodologiae regula in schola et studio litterarum est Auctorum, quorum opera leguntur, bona commentatio; scholae enim inter se divergunt potius in modo commentandi Auctorem quam ex selectione Auctoris ipsius.

Redibus optime fieri potest ad methodum humanisticum, iuxta illud Jouvancy: « lectione, scriptione, imitatione, stilus omnis effingitur ». S. Augustinus haec habet: « Eruditio disciplinarum liberalium, modesta sane atque succincta, et alacriores et perseverantiores et compliores exhibet amatores amplectendae veritatis, ut et ardentius appetant, et constantius insequantur, et inhaereant postremo dulcius » [109].

Methodus opportune ex S. Congregationis praescriptis hodiernis temporibus accommodanda erit novisque in dies inventis perficienda. Praeterea, ad exitum curriculi examen veluti classicae maturitatis imponitur.

51. Philosophicum curriculum, ex regula, biennio conficitur, laudabiliter vero triennio, sed post expleta studia medica-classica. Permittitur tamen, sub conditionibus art. 44 § 1, 3), ut unus tantum annus totus in philosophiae scholasticae studio insumatur.

Methodus docendi est scholastica, tam pro philosophia (art. 44 § 2, 2) quam pro theologia (art. 45 § 2 et 4), ad mentem et principia Angelici Doctoris et lingua latina (art. 45 § 5). Permittitur nihilominus ut breves materiae recapitulationes vel responsiones et interpretationes fiant lingua patria. Revera, lingua latina adhiberi debet in explanatione philosophiae proprie scholasticae atque theologiae dogmaticae et moralis, S. Scripturae, Iuris Canonicis, non necessario in aliis disciplinis nisi quatenus linguam loci non omnes alumni probe noscant, ut in sedibus studiorum internationalibus accidere solet. Praeterea, non vetantur professores ad alios quoque probatos Doctores et Magistros, praeter S. Thomam, recurrere. In mente insuper teneant professores studium philosophiae ad theologiam alumnos praeparare proxime debere et remote ad apostolica ministeria (art. 44 § 2, 1) et studium theologiae ad varium apostolatum erga rudiores et excultiores nostrae aetatis ho-

[108] Eximius ille magister sanctitatis et paedagogiae scholaris S. Iohannes Bosco suis magnopere commendabat ne in schola Auctores librosque nominarent quorum lectio alumnis consilianda non esset.

[109] *De Ordine*, 1, 8, 24.

mines (art. 45 § 2). Schola autem semper essentialiter formativa esse debet.

Scholasticae quoque exercitationes praescribuntur [art. 44 § 4 1); art. 45 § 3, 2)].

Disciplinae in curriculo philosophico tradendae tantum generice (art. 44 § 3), in curriculo theologico praecisius indicantur (art. 45 § 3). Historia philosophiae (art. 44 § 3), et philosophiae introductio (art. 44 § 1, 2) opportune in ultimo anno curriculi mediiclassici tradi possunt. Sociologia vero, quoad principia, melius in curriculo philosophico, quoad autem applicationem, melius in curriculo theologico doceretur. Nec desit in utroque curriculo disciplina paedagogiae sacerdotalis sive quoad principia sive quoad praxim v. gr. in catechesibus, in confessionibus, in adsistentia moribundis, etc.

In biennio philosophico studium litterarum moderate continuetur, Auctores seligendo qui mentem philosophicam prae caeteris demonstrant (art. 44 § 4, 2).

In utroque curriculo examina quotannis serio, non palliative, fieri debent pro singulis disciplinis; examina vero reparationis ordinanda sunt in Statutis peculiaribus [art. 44 § 1, 1) et 3); art. 45 § 5]. Si quis alumnus in disciplinis praecipuis, scil. in principalibus aut secundariis, approbationem neque in examine ordinario neque in examine reparationis, referat, ad cursum superiorem frequentandum admitti non potest; in disciplina vero complementari utrum admitti possit necne praecipiant Statuta peculiaria.

Tandem, ad exitum utriusque curriculi, pro iis qui ad academicos vel internos gradus contendunt imponitur examen de universa philosophia aut de universa theologia; pro caeteris vero pariter imponitur, sed non ita stricte, quoddam examen maturitatis philosophiae vel theologiae, de praeformato thesario ex omnibus philosophiae vel theologiae tractatibus compositio [art. 44 § 5, 2); art. 45 § 5].

52. Curriculum theologicum distinguitur in seminaristicum et superius seu academicum; illud pro omnibus ad sacerdotium candidatis praescribitur et integro quadriennio, demptis vacationibus ultimi anni, absolvitur; hoc vero iis qui ad academicos vel internos gradus contendunt reservatur (art. 45 § 1, 1). Tituli autem interni in aliquibus Ordinibus existentes conservantur et etiam in aliis institutis excitari possunt, sed tales esse debent ut facile aequiparari possint titulis vere academicis. S. Congregatio iis titulis eorumque adsimilationi ad gradus academicos favet, dummodo ii maioribus scholis et rigidioribus probationibus seu examinibus, scil. per cur-

sum academicum seu academico adsimilatum obtineantur. Favor S. Congregationis in hoc patet, quod ii tituli interni recognoscantur ut quis magisterium in disciplinis philosophicis, theologicis et iuridicis adsequi possit, salva praescriptione diversa (art. 46 § 5); quodque ii viam sternant ad Facultatis erectionem apud specialem Familiam vel ad legitimam affiliationem ad aliquam Universitatem iam exsistentem (art. 46 § 4).

Si quis alumnus, ex dispensatione Apostolica, sacerdos ante expletum curriculum theologicum ordinetur, sedem studiorum et schoiam deserere nequit, sed in omnibus disciplinis, nulla excepta, studio adhuc incumbere debet donec statuto tempore examina in singulis subeat. Nefas est eidem committere ministeria etiam interna ante absolutum integrum curriculum, superatis examinibus (art. 45 § 1, 2).

53. Expletis ordinariis curriculis philosophico et theologico, alumni, qui physice, moraliter et intellectualiter praestant (art. 46 § 2 et 5), destinari possunt ad studia specialia adgredienda, tum ad communia complenda, tum ad res peculiares singulorum institutorum addiscendas, tum ad « specializationem », uti dicunt, sibi comparandam v. gr. in paedagogia, pro disciplina aliqua in schola tradenda, in iis quae ad exteras missiones referuntur, in praedicatione, etc., iuxta necessitates eorum singulorum institutorum (art. 46 § 1-2). Per exceptionem, admitti etiam potest « specializatio » ipsis perdurantibus curriculis ordinariis, dummodo eis, iudicio Superiorum et audito studiorum praefecto, non noceatur, ut v. gr. cum studia ordinaria ita ordinentur ut alumni ad unam vel alteram eorum directionem contendere possint.

Revera, specialis competentia, quae pro magisterio in determinata disciplina requiritur (art. 46 § 5), aut laurea vel licentia aut etiam diplomate « specializationis » demonstratur. At non solum ii qui ad docendum destinantur, verum etiam et alii iuvenes, virtute et ingenio praestants, ad « specializationem » contendere possunt, et Superiores id aegre ferre non debent, sed potius ipsi iuvenes seligant, altioribus studiis eos applicent, eisque necessaria et opportuna subsidia suppeditent (art. 46 § 6). Hoc sane documenta docent neque Superiores ab hoc deterreri debent ratione maiorum expensarum cum quo maior sit singulorum cultura, eo maior est eorum in apostolatu communi et specifico redditio. Caeterum, si expensae sustinentur pro alimento materiali, etiam pro alimento spirituali generositas Superiorum demonstrari deberet.

Hinc exhoratio gravis S. Congregationis etiam ad « specializationem » in studiis profanis, iuxta necessitates instituti; quae « spe-

cializatio » consequi potest tum in Universitate Catholica, in qua scil. nullum est periculum pro fide et moribus, tum in scholis specialibus et altioribus propriae vel alius Familiae quae legitime probata diplomata conferre valeant [110], tum etiam, veluti per exceptionem, in alia laica Universitate vel Schola Superiore, servatis de iure servandis (art. 46 § 7, 2) [111]. Quod valet etiam pro clericis instituti laicalis (art. 16 § 2).

Ad hoc facilius obtinendum S. Congregatio favet institutioni collegiorum centralium sive internationalium aut interprovincialium apud studiorum Universitates vel Facultates, atque imprimis in Urbe, ubi tot alia pecularia sunt, veluti sanctitas et maiestas loci in quo sedes Vicarii Christi divina Providentia statuta est, quae multum conferunt ad catholicam et apostolicam alumnorum institutionem rectamque formationem [112].

54. Titulus X de institutione apostolica, nempe ad apostolatum, per quattuor articulos (art. 47-50) disserit.

Revera pluries Statuta Generalia, data occasione, Superiores et moderatores exhortant, maxime vero in art. 47 § 1, ut per totum institutionis et probationis tempus animos alumnorum ad apostolatum alliciant atque in eodem moderate et prudenter eosdem exerceant. Ita v. gr. quandoque clerici catechismum pueris docere possunt sub ductu praefecti spiritus, dummodo eorum studiis non obferatur. Imo ad intimam vitam Familiae gradatim admitti debent, ut melius eam cognoscendo eiusque speciali missione in Ecclesia sese instruendo, eam plus diligant, eiusque socialibus operibus corde pleno et animo praeparato sese devoveant (art. 47 § 2). Porro, ad hoc facilius consequendum, non desit in curriculo theologico

---

[110] Ut iam memoravimus, Neapoli apud « S. Claram » Institutum Superius, opera Fratrum Minorum, Scientiarum et Litterarum exortum est, in quo ad sanam culturam in scientiis profanis et litteris clerici dioecesani aut Statuum perfectionis recte instituuntur. Similiter per Americam Septentrionalem et per Brasiliam numerosae exhortae sunt Universitates seu Facultates civiles quae a Familiis religiosis, nomine Status sed dependenter a S. Congregatione de Religiosis, reguntur.

[111] Inspiciantur, quaeso, et observentur praecisae dispositiones praesertim S. C. Consistorialis, Decr. *Nemo de sacro*, 30 apr. 1918 (AAS., X (1918), 273-274; *Ench. de Stat. Perf.*, n. 323) emanatae.

[112] Ita Pius XII f. r. universos clericos et studentes Romae initio sui Pontificatus alloquebatur; « Vos autem qui hac in Urbe degentes testes estis quomodo Apostolica Sedes, humanis posthabitis considerationibus, nil aliud cogitet, nil aliud quaerat nisi bonum, felicitatem, salutem denique fidelium totiusque humani generis, fiduciam illam quam de ea experiendo concepistis, cum fratribus vestris toto terrarum orbe communicate, ut omnes in caritate Christi cum Summo Pontifice unum sitis » (Alloc. *Sollemnis Conventus*, 24 iun. 1939 (AAS., XXXI (1939), 248-251); *Ench. de Stat. Perf.*, n. 373).

disciplina iuris interni rerumque specialium ad vitam propriae Familiae sese referentium, veluti historia, paedagogia, methodus peculiaris in apostolatu.

At haec omnia non sunt neque substituere possunt institutionem pastoralem proprie dictam, quae, post absolutum curriculum theologicum, pro omnibus alumnis — iis tantum in casibus particularibus prudenter dispensatis qui studiis superioribus, et quidem ecclesiasticis, non profanis, ad « specalizationem » consequendam incumbere debent (art. 48 § 2) —, saltem per annum fieri debet (art. 48 § 1).

Quae pastoralis institutio et exercitatio — nam partim theorica, partim practica est — etsi nunc primum obligatorie praescribitur, non est novum in Ecclesia. Ea enim per unum vel per duos annos instructi optimi sacerdotes zelantesque apostoli ex utroque semper prodierunt clero.

Porro, generalia sunt quae art. 48 § 1 praescribuntur ad pastorale tirocinium ordinandum. Practice, « cum maiores scopuli initio vitae sacerdotalis occurrere soleant, ait S. Congregatio [113], caveant Superiores ne post Ordinationem et completo iam studiorum curriculo, iuvenes sibi ipsi relinquantur, sed per aliquod tempus (scil. per annum saltem) sub speciali cura eosdem habeant. Quod ut facilius fiat, illos in domibus ubi perfecta viget regularis observantia assignent, speciale tirocinium, pro uniuscuiusque captu, subituros ». Inde patet mens S. Congregationis iuvenes sacerdotes non necessario pro curriculo pastorali in propria studiorum sede remanere debere. Sufficit ut in peculiari domo ad hoc apta atque instructa, v. gr. in sede Superioris provincialis, coadunentur (art. 21 § 1, 4), pro primo anno sacerdotii, neo-sacerdotes omnes unius vel plurium provinciarum, ubi ipsi, dum in variis domus ministeriis, iuxta proprias Constitutiones, exerceantur, propriae formationi adhuc sedulo vacent, sacerdotales virtutes impensius colant, apostolatum sacerdotalem moderate exercent, studio et praxi theologiae pastoralis sub expertis magistris incumbant. Hi magistri non necessario laurea doctorali vel licentia ornati esse debent, sed nihilominus vere experti tum in doctrina tum in ministerio.

Ordinatio totius tirocinii iuri particulari et Statutis particularibus remittitur. Ad mentem tamen Eccleisae, liceat hic nonnullas disciplinas indicare quae opportune in curriculo pastorali doceantur.

Praeprimis theologia dogmatica recapitulari poterit; dein theologia moralis, sub adspectu pastorali, praesertim circa administra-

---

[113] Instr. *Quantum Religiones*, 1 dec. 1931 (AAS., XXIV (1932), 74-81; *Ench. de Stat. Perf.*, n. 363).

tionem Sacramentorum, praedicationem, practicum modum se gerendi in confessionibus audiendis in moribundis adsistendis, in catechesibus pueris et adultis impertiendis, etc. Tradi quoque potest theologia ascetica, casistica, paedagogia theologica, S. Eloquentia; tradi tandem debet Tractatus de VI et de usu matrimonii; et de administratione ecclesiastica notiones quoque dentur.

At in his et aliis, quae experientia suggesserit, circumstantiae loci, temporis et personarum attente considerandae sunt.

Denique, ad exitum anni, quo perdurante 100 saltem dies scholares habiti sint (art. 42 § 3, 3), neo-sacerdotes ad examen confessionis invitari possunt (c. 877 § 1).

55. Sapientissime, denique, Statuta Generalia, ad praescripta Codicis (cc. 129-131, 590-591), imponunt necessitatem adsiduidatis in studiis, praesertim sacris [114]. Missa nullo modo considerari potest tamquam finis studiorum. Et semper debet sacerdos omnibus viribus contendere ut illam attingat sanam doctrinam, ac sectatur, de re sacra, quae a maioribus tradita est et communiter in scholis nostris recepta, devitetque profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam (art. 49 § 1). Inde renovata obligatio examinum quinquennalium, quae dicuntur (art. 49 § 2) et menstrualium collationum (art. 50 § 1).

Porro, examina quinquennalia obligatoria fiunt etiam pro clericis Societatum vitae communis et Institutorum saecularium (art. 49 § 3, 1). Eorum materia ita per annos distribuatur, ut, quinque annorum spatio, disciplinae saltem principales curriculi theologici et pastoralis recolantur atque de iis examina fiant. Quod si quis in annuo examine non fuerit probatus, examen repetere debet, et si adhuc examen non superaverit, annus in quinquennio non computatur [art. 49 § 3, 2)-3)].

Ad facilius examen annuum parandum, omnes examinandi, tempore feriarum, in apta sede, quae esse potest sedes formationis pastoralis, simul conveniant, ubi, per tempus conveniens opportunis lectionibus, practicis exercitationibus, apte praeparentur et examen subeant.

Ad exitum quinquennii gravius examen fiat generalis maturitatis doctrinalis et apostolicae [art. 49 § 4, 1)-2)].

Ius eximit ab examine subeundo eos qui in schola philosophica, theologica aut iuridica munus docendi obtinent [115]; et Superioribus

---

[114] Consulto addimus vocem *praesertim*. Hodie enim non sufficit clericis disciplinis ecclesiasticis tantum callere.

[115] PCC., 24 nov. 1920.

concedit alios quoque, gravi de causa graviterque eorum onerata conscientia, eximendi facultatem. Ex analogia, etiam annus pastoralis in quinquennio computari posse videtur. Sed iure non sunt exempti nec a Superioribus eximendi qui scientias et disciplinas aut artes per se profanas etiam in schola philosophica, theologica aut iuridica docent. A fortiori sunt eximendi qui altiora studia profana adgrediuntur apud laicales Universitates.

Solutio vero casus moralis et liturgici, quae dicitur, in qualibet formata domo semel in mense c. 591 praescribitur, cui interesse debent omnes clerici professi, non igitur novitii, qui studio theologiae vacant aut illud expleverunt et domui adscripti sunt. Obligatio hucusque solos Religiosos tenebat, sed art. 50 § 1 ad Societates vitae communis et ad Instituta saecularia extensa est.

Statuta Generalia opportune in mentem Superiorum revocant gravissimam obligationem, canonicis sanctionibus firmatam, curandi ut collationes habeantur, ordinentur, praeparentur et competentur dirigantur [art. 50 § 1, 2)-3)].

Denique, commendatur praxis, sive iam existens sive instituenda, iuxta quam quotannis promoveantur conventus veluti intellectuales ad doctrinae cognitionem perficiendam et renovandam (art. 50 § 3).

56. Titulus XI de ultima institutionis perfectione tribus postremis articulis agit.

Agitur revera de tertia probatione, quae dicitur, quaeque, iuxta varias praxes, secundum novitiatus, novitiatus apostolicus, annus perfectionis, schola affectus solet quoque nuncupari [art. 51 § 2; art. 9 § 2].

De hac ultima probatione iam art. 9 commentantes plura diximus. Eius ratio et finis abunde ex art. 51-52 patent. Eius ordinatio iuri particulari remittitur (art. 52 § 2).

Excellentissima absque dubio est haec ultima probatio; de ea duas habemus Allocutiones [116]. Sed ea tamen non imponitur; ius particulare, ubi eam imponit, confirmatur; ubi vero instauret, valde laudatur. Clara, insuper, mens est S. Congregationis ut, ea perfecta, via prudenter aperiatur ad graviora munera in instituto obeunda (art. 53 § 1).

Verum, ubi iure particulari haec tertia probatio non imponitur, meliore quo fieri possit modo supplenda est vel in tirocinio pastorali, quod ad complendam etiam formationem religiosam et sacer-

---

[116] PIUS XII, *Allocutiones*, 17 sept. 1946 (AAS., XXXVIII (1946), 383; *Ench. de Stat. Perf.*, n. 385); 25 mart. 1956 (AAS., XLVIII (1956), 269-272).

dotalem ordinetur, vel, absoluto quinquennio, per longiora exercitia spiritualia et per aptas instructiones ad hoc constitutas (art. 53 § 2).

57. Iam undequaque, etsi festinanter et transeunter, omnes articulos etiam Statutorum Generalium percurrimus. Sat igitur iam prata biberunt. Tempus est ut ad conclusionem generalem deveniamus.

Plurimas gratias maternae Ecclesiae Providentiae reddamus, quae per S. Congregationem de Religiosis tanta documenta nobis dedit. Quae quidem, etsi quandoque noviter inducta videantur, nova revera non sunt; omnia enim mirabiliter in trunco annoso ecclesiasticae religiosaeque traditionis inseruntur, methodis et programmatibus scholarum famosarum, quae in religiosis Familiis longe lateque floruerunt, intime connexa. Alia quidem tempestate ipse Romanus Pontifex adfirmare potuit: « Nulla affatto di nuovo (in novis de iuventutis educatione theoriis aut repellendis aut corrigendis), che non abbia insegnato la Chiesa e attuato nella pratica l'educazione cristiana tradizionale » [117].

Faxit Deus ut quos bonos fructus iam ex tanto labore portendere licet, ipsos uberrime Sancta Mater Ecclesia exinde percipiat.

Sac. Augustinus Pugliese
a Studiis S. C. de Religiosis

---

[17] PIUS XII, Litt. Enc. *Rappresentanti in terra*. 21 dic. 1929 (AAS., XXI (1929), 746).

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO RITUUM

PARISIEN

(De prohibitione utendi lingua vulgari in Missa cantata)

Em.mus, ac Rev.mus Dominus Mauritius Cardinalis FELTIN, Archiepiscopus Parisien., vota depromens Magistrorum qui Instituto Gregoriano, Instituto Catholico Parisiensi adnexo, cantum moderantur, sequentia dubia circa interpretationem quorumdam locorum Litterarum Encyclicarum « Musicae sacrae disciplina » Sacrae Rituum Congregationi humiliter subjecit, nempe:

1. - An verba circa prohibitionem linguae vulgaris adhibita in dictis Litteris Encyclicis intelligenda sint de Missa solemni late dicta, id est de omnibus generibus Missarum quae a Celebrante, cum vel sine sacris Ministris, cantantur?

2. - An verba circa permissionem linguae vulgaris adhibita in iisdem Litteris Encyclicis de quadam alia Missa intelligenda sint, quam de illa sola quae a Celebrante sine cantu legitur?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, audito Specialis Commissionis suffragio, respondendum censuit:

Ad I. AFFIRMATIVE.

Ad II. NEGATIVE.

Atque ita rescripsit et declaravit die I Junii 1956.

C. Card. CICOGNANI
S. R. C. Praef.

ADNOTATIONES

In Litteris Encyclicis « Musicae Sacrae disciplina », diei 25 decembris 1955, circa linguam in liturgia adhibendam edicitur:

« Haud ignoramus sane ab hac ipsa Apostolica Sede ob graves causas quasdam sed omnino definitas exceptiones hac in re (de lingua latina adhibenda) concessas esse, quas tamen nequaquam latius proferri vel propagari, nec sine debita eiusdem Sanctae Sedis venia, ad alias regiones transferri volumus... Verum tamen, ubi saecularis vel immemorabilis consuetudo fert ut in solemni Sacrificio Eucharistico, post sacra verba liturgica latine cantata, nonnulla popularia vulgaris sermonis cantica inserantur, locorum Ordinarii id fieri sinere poterunt, si « pro locorum ac personarum adiunctis existiment eam (consuetudinem) prudenter submoveri non posse » (Codex Iuris Canonici, can. 5), firma tamen lege qua sta-

tutum est ne ipsa verba liturgica vulgari lingua canantur, quemadmodum supra cautum est ».

Ibidem autem, infra, ubi agitur de cantu religioso populari, dicitur:

« Quapropter, etsi, ut supra scripsimus, in Eucharisticis Sacrificiis solemniter cantatis sine peculiari Sanctae Sedis venia haberi non debent, tamen in sacris non solemniter celebratis mirum in modum iuvare possunt, ut christifideles Sancto Sacrificio non tantum ut muti et quasi inertes spectatores assistant, sed sacram actionem mente et voce comitantes suam pietatem cum sacerdotis precibus coniungant, dummodo cantus illi singulis Sacrificii partibus aptentur, ut multis orbis catholici regionibus iam fieri magno cum gaudio novimus ».

Quoad sensum vero locutionis « missa solemnis » vel « missa non solemnis » interpretandae, duplex est in iurisprudentia romana traditio:

1) In nonnullis Summorum Pontificum vel Sacrae Rituum Congregationis textibus [1], *qui omnes ad sacrum cantum* praesertim *spectant*, verbis « Missa solemnis » — vel aliis huiusmodi — omne genus Missae a Celebrante cantatae evidenter intenditur, sola exclusa, ut patet, Missa quae dicitur lecta. Et revera « solemnitas » Missae *sub respectu cantus* eamdem rationem habet, sive Missa cum diacono et subdiacono celebratur, sive absque eorum ministerio.

2) In textibus vero tum Sacrae Rituum Congregationis Decretorum cum Auctorum *qui* praecipue *de sacris caeremoniis dissertant* [2], verbis « Missa solemnis » illa tantum intelligitur missa quae cum diacono et subdiacono celebratur, exclusa Missa a solo Celebrante sine ministris sacris cantata, et a fortiori Missa lecta. Quo quidem nihil convenientius, quia *quoad caeremonias instruendas*, apprime interest utrum adsint ministri sacri an non.

Exinde dubium a S. R. C. resolutum.

Cum vero alicubi aequivocationes inductae fuerint, inutile non erit ulterius praefinire haud appellari posse Missam lectam (in qua proinde fideles lingua vulgari canere possunt) modum quemdam a regulis liturgicis aberrantem S. Sacrificium celebrandi, quo Sacerdos (cum vel sine SS. Administris aliisque propriis Missae solemni vel cantatae) textum liturgicum, qui a Celebrante canendus est, cantat recto tono.

---

[1] Ex. gr. Decreta NN° 3496 ad I; 3880; 3994; 4210 ad II; 4231, etc. S. Pii X, Motu proprio « Tra le sollecitudini », tit. III, §. 8. SS. D. N. PII XII, Litterae Encycl. « Mediator Dei », Acta Apost. Sedis, 1947, p. 560 etc.

[2] Ex. gr. Collectio Decretorum S. R. C., passim; Martinucci-Menghini, Lib. I, vol. I, c. II, passim; Lib. II, c. III, a. III; Moretti, Caeremoniale, I, Prima pars, C. 27, a. 4, n. 277-280; Haegy-Stercky, t. I, p. 363, n. 391, etc.

Revera Celebrans aut textum simpliciter legit vel recitat, et habemus Missam lectam; aut textum cantat, et quidem juxta melodiam in Missali notatam, et habemus Missam cantatam vel sollemnem.

Non datur tertium; quare modus iste Missam canendi recto tono, tamquam abusus eliminandus.

Item sia dicta « Missa lecta sollemnizata » (vulgo « Messe basse sollemnisée » [3]), si intelligatur uti forma quaedam participationis fidelium, juxta S. Sedis Decreta [4], S. Missae Sacrificio, naturam Missae lectae servat.

Si vero intelligatur uti Missa lecta, cui sollemnitas inest « de ce qu'elle est la célébration d'un culte structuré par un peuple hiérarchisé », ut quidam opinantur [5], est forma arbitraria Missae; praeterea implicat in terminis, vel saltem aequivocationem sapit, quatenus concessiones a S. Sede factae pro Missa lecta, praesertim quoad linguae vulgaris usum in cantibus populi fidelium qui S. Sacrificio participant, indebite applicantur Missae, cui sollemnitas quaedam inest atque ideo non est Missa lecta.

Si demum huiusmodi Missae forma (quae, utpote arbitraria, juxta cuiusque placitum in dies mutare potest ac revera mutat) diffundatur, apage unitatem S. Liturgiae!; apage Missam sollemnem juxta ritum Ecclesiae Catholicae Apostolicae!

Praeterea textus liturgici Missae nonnisi lingua latina canendi sunt, etiam in Missa lecta; quare eorum translatio cantu figurato ornata vel — pejus — gregorianae monodiae accomodata, admitti nequit, ut recentissime S. Pontifex Pius XII in Alloc. Congressui Internationali Liturgiae Pastoralis partem habentibus confirmavit.

Coronidis modo, placet hic afferre quae in subiecta materia Suprema Sacra Congregatio S. Officii, litteris N. 78/48 diei 17 Octobris 1956, declaravit.

« Litteris huic Supremae S. Congregationi die 13 septembris d. a. ab E.mo D.no Cardinali Petro Gerlier, Archiepiscopo Lugdunensi, exhibitis, Excellentia Tua Rev.ma, nomine omnium Galliae

---

[3] Cfr. Thiery Maertens. La Messe basse solennisée. Ed. Apostolat Liturgique.

[4] Cfr. Motu Proprio « Tra le sollecitudini dall'officio pastorale » di S. Pio X del 22 Nov. 1903 (Introduz.). S. Rituum Congr. Decr. n. 4375 diei 4 aug. 1922. Enc. Mediator Dei n. 104 ss. - Enc. Musicae sacrae disciplina.

Allocuzione di Pio XII del 22 Sett. 1956 ai partecipanti al I Congr. Internazion. di Liturgia Pastorale.

[5] Ita Th. Maertens in Paroisse et Liturgie a. 38 (1956) N. 5, pag. 314. Huiusmodi definitio male sonat; hyerarchia enim et populus, etiam in cultu, essentialiter differunt inter se sive ratione naturae specificae, sive ratione munerum cuique spectantium. Qui ideo tenet populum ad hyerarchiam reduci posse, in protestantismum inclinare videtur.

Cardinalium et Archiepiscoporum, supplicibus precibus a Summo Pontifice implorabat quasdam concessiones in celebratione Missae.

Peculiaribus rationibus pastoralibus praemissis, eadem Excellentia Tua petebat « ut in omnibus dioecesibus Galliae, ministri sacri intra Missam solemnem, Celebrans vero ipse intra Missam popularem, sive cantatam sive lectam, Epistolam et Evangelium latine primum, deinde lingua vernacula proclamare valeant ».

Petitioni benigne annuens, haec Suprema S. Congregatio respondendum decrevit: « *Affirmative* ».

Insuper eadem E. T. postulabat, nomine Cardinalium et Archiepiscoporum Galliae, ut Ordinariis istius Nationis de speciali licentia Augusti Pontificis « detur facultas, saltem ad experimentur, ut, ubi circumstantiae id posulent, Celebrans Missae lectae in una tantum lingua vulgari Epistolam et Evangelium populo nuntiet, diebus dominicis et festis de praecepto aut cum magno populi concursu, firma tamen lege ut versione ab Episcopis ad hoc approbata tantum utatur ».

Rerum adiunctis bene perpensis, Suprema S. Congregatio censuit tali supplici petitioni responsionem adfirmativam dari non posse.

Decisiones, de quibus supra, quasque Tecum hisce Litteris communico, augustae approbationi Summi Pontificis submissae fuerunt in Audientia concessa die undecima octobris p. e. Exc.mo Substituto Secretariae Status.

Interim impensos aestimationis meae sensus Tibi obtestor meque profiteor,

Excellentiae Tuae Rev.mae Addictissimum

I. Card. Pizzardo, *secr.* »

Quae omnia, plane concordant cum praecedentibus normis pontificiis in subiecta materia, ut patet, easque confirmat.

Ad omnem vero aequivocationis occasionem tollendam, adnotasse sufficiat « proclamare » non est « cantare », sed alta voce « recitare ».

Demum, textus liturgicus numquam cantari lingua vulgari poterit a Sacerdote (eoque minus ab aliis), imo nec ab eodem legi vel proclamari, nisi prius latina lingua cantatus fuerit.

Florentius Romita

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ

SACRA ROMANA ROTA

1°

Coram R. P. D. Dino Staffa, *Ponente*

BRIXIEN. seu MEDIOLANEN.

Nullitatis Matrimonii

Sententia diei 20 aprilis a. 1956

(*De metu indirecto*)

In Jure. - Tum in Ecclesia Latina, (can. 1087 C. J. C.), cum in Ecclesia Orientali saltem post Motum Proprium *Crebrae Allatae* diei 22 februarii a. 1949 (*A. A. S.*, vol. XLI, p. 106, can. 78), certum est metum gravem, extrinsecum et iniuste incussum, matrimonium irritare. Postquam tamen in citato Motu Proprio pro Ecclesia Orientali decretum est metum non dirimere vinculum nisi illatus sit ad extorquendum consensum, iterum ac frequentius disputari coepit utrum et in Ecclesia Latina eadem norma vigeret.

Per plura saecula, ut ex historia constat (cfr. M. Wyszynski, *Utrum metus indirecte incussus dirimere possit matrimonium*, in *Jus Pontificium*, a. 1930, pp. 193-200; a. 1931, pp. 42-51; a. 1932, pp. 43-52; a. 1933, pp. 52-63; G. Dossetti, *La violenza nel matrimonio in d. c.*, Milano, 1942, pp. 170 ss.), unanimiter Canonistae docuerunt metu vinculum non invalidari, nisi incussus fuisset ad extorquendum consensum. Sufficiat pro omnibus referre verba Th. Sanchez: « Hac ergo in re est conclusio *certissima* apud omnes, nempe, quoties metus non est incussus ad extorquendum matrimonium, sive proveniat a causa naturali, sive libera, quantumvis gravissimus sit, non reddit irritum matrimonium... quia tunc non impellitur homo ab alio ad matrimonium, sed a se ipso: cum nullus tunc exigat matrimonium, sed voluntarie id contrahens eligit, tamquam medium ad evadendum periculum animae vel corporis... Quia involuntarium quod in eo matrimonio invenitur, non est intentum ab incutiente metum, sed tantum habet occasionem ex ipsius nequitia » (*De S. Matrimonii Sacramento*, L. IV, disp. 12, n. 3).

Primus qui ex professo contrariam sententiam proposuit fuit J. B. De Lugo: « Ratio autem — ait ipse — a priori est, quia etiam in hoc casu homo consentit vere et simpliciter metu iniusto coactus: ad hoc enim, ut aliquis dicatur proprie ex metu aliquid facere, non

requiritur quod metus hac intentione inferatur, ut constat in eo, qui metu naufragii proicit merces in mare, qui propriissime dicitur operari ex metu... Arguit (Sanchez)... quia tunc non impellitur ab alio ad matrimonium... sed contrahens id voluntarie eligit, ut medium ad evadendum periculum. Respondetur tamen ex dictis, non impelli quidem immediate, sed mediate ad matrimonium ab inferente metum, sicut qui proicit merces in mare, impellitur immediate a metu mortis, et mediate a tempestate, quae illum metum intulit... licet (metus) ab initio non fuerit incussus ad contractum; postea vero quando jam ad eam conventionem venitur, jam iniustus oppressor minatur mortem, si non contrahat. Ergo perinde se habet, ac si ab initio minatus eam fuisset, si non consentiret » (*De justitia et jure*, disp. XXII, sect. VII, nn. 177-180).

Non obstante hac contraria sententia J. B. De Lugo, praevalens doctrina (cfr. Auctores cit. a M. Wyszynski, art. cit. a. 1932, p. 122 ss.; G. Dossetti, *o. c.*, p. 188, nota 1) et jurisprudentia sive Veteris Rotae (cfr. e. gr. *S. Rotae Romanae Decisiones Recentiores*, Pars XVIII, t. II, dec. DXIV, *Taurinen.*, d. 10 maii a. 1675, nn. 15-16), sive S. C. Concilii (cfr. e. gr. *Thesaurus resolutionum S. C. Concilii*, tom. III, pp. 67 et 164, *Mutinen.* dec. d. 19 augusti a. 1724 et d. 9 junii a. 1725; tom. CXLIX, p. 388 ss. *Bononien.*, dec. d. 10 maii a. 1890, et *A.S.S.*, XXIII, p. 140 ss. Quoad causam *Vigilien.*, diei 23 junii et diei 13 julii a. 1725, de qua in *Thesaurus* cit. tom. III, pp. 176, 188, 208, 221 et apud *Fontes C. J. C.* vol. V, n. 3300, pp. 744-746, cfr. M. Wyszynski, art. cit. in *Jus Pontificium* a. 1933, pp. 57-58 et G. Dossetti, *o. c.*, pp. 188-189, nota 1), sive Novae Rotae ante Codicem J. C. (cfr. e. gr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. II, p. 69, n. 2, dec. d. 26 februarii a. 1910 *coram Many;* ibid. p. 289, n. 2, dec. d. 21 julii a. 1910 *coram Sebastianelli;* vol. III, p. 115, n. 2, dec. d. 13 martii a. 1911 *coram Many;* ibid. p. 123, n. 2, dec. d. 20 martii a. 1911 *coram Many;* ibid. p. 229, n. 6, dec. d. 2 junii a. 1911 *Videntibus Omnibus;* ibid. p. 238, n. 2, dec. d. 9 julii a. 1911 *coram Prior;* vol. IV, p. 22, n. 4, dec. d. 11 januarii a. 1912 *coram Heiner;* ibid. p. 441, n. 5, dec. d. 27 augusti a. 1912 *coram Lega;* vol. V, p. 463, n. 2, dec. d. 14 julii a. 1913 *coram Sincero;* ibid. p. 613, n. 4, dec. d. 29 nov. a. 1913 *coram Prior;* vol. IX, p. 10, n. 7, dec. d. 3 januarii a. 1917 *coram Cattani-Amadori;* etc.) tali constantia tenuerunt matrimonium non irritari metu qui non fuisset incussus ad extorquendum consensum, ut F. X. Wernz a. 1912 scribere potuerit: « sententia Lugonis nostra aetate non amplius videtur solide probabilis. Nam juris textus, v. gr. capita X De Spons. IV, I, 15, 28, non excepto cap. 14, constanter referuntur ad coactionem in ordine ad matrimonium, neque adversarii ullam possunt

allegare causam, in qua SS. CC. ipsorum sententiam adoptarint » (*Jus Decretalium*, ed. a. 1912, tom. IV, n. 265, nota 25).

Quidam tamen Auctores, etiam probati (cfr. F. SCHMALZGRUEBER, *Jus ecclesiasticum*, L. IV, tit. I, nn. 391, 398 ss. et alios quos citat M. Wyszynski, *art. cit.* a. 1932, p. 123 ss.) opinionem J. B. De Lugo secuti sunt.

Nunc vero investigandum est utrum prior an altera sententia in Codice sancita sit.

Dum in can. 103 *metus* contraponitur *vi*, in can. 1087, § 1 vis et metus coniunctim sumuntur, locutione quae tum in iure romano (Cod. II, 19), cum in iure canonico (L. I, tit. 40 Decretalium), constanter significavit vim quae per metum operatur, seu metum qui procedit a vi. Ratio distinctionis in hoc est quod, dum in can. 103, § 1 agitur de violentia absoluta quae non afficit nisi actum externum corporalem, in can. 1087, § 1 agitur de vi quam Canonistae vocaverunt conditionalem (cfr. e. gr. JOHANNES ANDREAE, *Novella Commentaria*, L. I, tit. 40 *De his quae vi*, c. 15 *Sacris;* TH. SANCHEZ, *o. c.* L. IV, disp. I, n. 1 ss.; A. BALLERINI-D. PALMIERI, *De Matrimonio*, ed. a. 1894, n. 1114; H. NOLDIN-A. SCHMITT, *De Sacramentis*, ed. a. 1945, n. 633; F. X. WERNZ-P. VIDAL-PH. AGUIRRE, *Jus matrimoniale*, ed. a. 1946, n. 496; Decisio d. 21 decembris a. 1951 *coram infrascripto Ponente*), quaeque afficit actum internum elicitum a voluntate.

Sive vis absoluta sive vis conditionalis ab extrinseco procedit, id est ex actu voluntatis alienae, liberae et humanae, quae violentia physica in primo casu, violentia morali in altero, determinatum persequitur finem, qui proinde antea a vim inferente cognosci debet. Violentiae autem obiectum est actus alterius hominis, quem vim inferens extorquere intendit, actus nempe corporis seu imperatus si inferatur vis absoluta, actus elicitus a voluntate si agatur de vi conditionali: in utroque casu obiectum vis illatae, id est actus violentiam patientis, est conforme ad voluntatem subiecti inferentis vim.

In can. 1087, § 1, ut animadvertimus, agitur de violentia conditionali seu morali, quia vis absoluta seu physica, quae totalem defectum voluntatis seu consensus praesupponit, rectius dicitur can. 1086, § 2 comprehendi. Postquam mentio facta est vis vel metus, in can. 1087, § 1 edicitur metu certis qualitatibus induto matrimonium irritari. Quia vero haec requisita, vel iuxta gramaticam, directe referuntur ad metum, non ad vim, inquirendum est quid secumferat, notione sua, metus et quidem metus ab extrinseco incussus.

Metus, natura sua (cfr. D. IV, 2, 1; S. Thomas, *Summa theologica*, I, II, q. 42-43), ne concipitur quidem sine malo: est enim instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio. Blanditiae, preces, invitationes, hortationes, consilia, per se nullum malum comminantur, ideoque nec metum incutiunt, sed alium ad agendum ex persuasione vel benignitate, ideoque plena libertate, excitare intendunt. Malum proinde, e. gr. molestia, fastidium, et metus quae cum iisdem forte connectuntur, utpote circumstantiis accidentalibus tribuenda, non praesumuntur, sed probanda sunt (cfr. e. gr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXIII, pp. 113-114, nn. 5 et 7, decisio d. 31 martii a. 1931 *coram Wynen*); insuper probari debet eadem fuisse iniusta et ita gravia ut nupturiens ad contrahendum vere coactus fuerit.

Metus ab extrinseco est formula a Canonistis inventa, quorum primus videtur D. Soto (*De iustitia et iure*, L. VII, q. II, art. 1; cfr. G. Dossetti, *o. c.*, p. 128), dum in iure romano memoratur *metus illatus* (D. IV, 2, 9). Sive tamen *metus illatus* romanorum, sive *metus ab extrinseco* Canonistarum, idem significarunt, id est metum incussum ab homine mediantibus minis (cfr. e. gr. Hostiensis, *Summa*, L. III, tit. 31 *De Regularibus*, c. 17 *Sicut nobis;* Joannes Andreae, *o. c.*, L. III, tit. 31 *De Regularibus*, c. 17 *Sicut nobis;* et alii ad idem c. 17, X, III, 31; D. Soto, *l. c.* Inter recentiores cfr. e. gr. I. De Lugo, *o. c.*, disp. XXII, sect. VII, nn. 112-113; F. Schmalgrueber, *o. c.*, L. I, tit. I, n. 389; A. Ballerini-D. Palmieri, *o. c.*, n. 1114; P. Gasparri, *o. c.*, ed. a. 1932, n. 852; F. M. Cappello, *o. c.*, ed. a. 1947, n. 607; Decisiones S. R. Rotae, vol. XVII, p. 240, n. 2, decisio d. 15 iunii a. 1925 *coram Jullien;* vol. XXII, p. 613, n. 2, dec. d. 24 nov. a. 1930 *coram Mannucci;* vol. XXIII, p. 489, n. 2, dec. d. 14 dec. a. 1931 *coram Mannucci;* vol. XXIV, p. 403, n. 3, dec. d. 4 augusti a. 1932 *coram Wynen*).

Matrimonium non irritat metus nisi sit ab extrinseco *incussus* « id est non tantum ex parte metuentis passus, sed vere et positive ab alio illatus » (G. Michiels, *Principia generalia de personis*, p. 515). *Incussus* proinde esse non potest nisi metus ab homine illatus, imo, iuxta constantem doctrinam et iurisprudentiam, *ex voluntate* procedens minitantis (cfr. e. gr. Sylvester de Prierio, *Summa*, v. *Votum*, n. 12; A. Blat, *Commentarium Codicis Juris Canonici*, L. III, pars I, n. 486; B. Ojetti, *Commentarium*, t. II, p. 148; Decisiones S. R. Rotae, vol. XX, p. 310, n. 7, decisio d. 25 iulii a. 1928 *coram Grazioli;* vol. XXIII, p. 103, n. 5, decisio d. 27 martii a. 1931 *coram Grazioli;* ibid., p. 489, n. 2, decisio d. 14 decembris a. 1931 *coram Mannucci;* vol. XXIV, p. 403, n. 3, decisio d. 4 augusti a. 1932 *coram Wynen;* vol. XXVII, p. 648, n. 2, decisio d. 10

decembris a. 1935 *coram Morano*): secus enim metus neque iniustus erit; haec insuper voluntas inferentis metum debet esse aliquo modo manifestata seu expressa (cfr. e. gr. DECISIONES S. R. ROTAE, vol. XVIII, p. 117, n. 2, decisio d. 9 aprilis a. 1926 *coram Parrillo;* vol. XXII, p. 613, n. 3, decisio d. 24 novembris a. 1930 *coram Mannucci;* vol. XXIII, p. 415, n. 4, decisio d. 11 augusti a. 1931 *coram Wynen*): nam quod nullimode manifestatur momentum habere nequit in iure, neque ab extrinseco superare contrarietatem ac minuere libertatem.

Praeterea matrimonium metu non invalidatur, nisi metus incussus ab extrinseco sit causa contractus (cfr. e. gr. DECISIONES S. R. ROTAE, vol. XV, p. 40, n. 3, decisio d. 5 martii a. 1923 *coram Jullien;* vol. XVIII, p. 175, nn. 2-3, decisio d. 11 maii a. 1926 *coram Mannucci;* vol. XIX, p. 446, n. 2, decisio d. 10 novembris a. 1927 *coram Grazioli;* vol. XXII, p. 204, n. 5, decisio d. 4 aprilis a. 1930 *coram Grazioli;* vol. XXIII, p. 182, n. 5, decisio d. 11 maii a. 1931 *coram Grazioli;* ibid. p. 388, n. 2, decisio d. 10 augusti a. 1931 *coram Parillo*): nisi enim relatio causalitatis intercedat inter metum et matrimonium, contractus non initur *ob* metum prout can. 1087, § 1 requirit (cfr. etiam can. 103, § 2). Iamvero « *causa* alicuius actus vel effectus is dicitur ad quem actus vel effectus ipse refertur tamquam ad suum auctorem: causa directa alicuius actus vel effectus is dicitur qui actum ipsum vel effectum in se et immediate intendit; *indirecta* vero qui non intendit actum vel effectum in seipso et immediate » (D. STAFFA, in *Apollinaris*, vol. XVI, p. 56), sed alium actum vel effectum qui est causa illius qui de facto producitur. Cum de lege stricte interpretanda agatur (can. 11 et 1014), causa sensu proprio et stricto sumenda est, ideoque concludendum videretur metum non irritare matrimonium, nisi ipsius sit causa directa. Docuit F. SUAREZ: « quando metus directe incutitur ad extorquendum consensum, esse specialiorem quandam diminutionem libertatis, quae non est in quocunque alio metu ex numeratis; nam in aliis non determinatur voluntas ex vi metus ad eligendam professionem, tanquam medium necessarium ad vitandum malum quod timetur; sed cum malum alioquin immineat, voluntas ipsa ex sua libertate se determinat ad eligendum hoc medium... At vero quando metus directe incutitur ad extorquendum consensum, voluntas ex vi illius quodammodo determinatur ad eligendam professionem tanquam medium necessarium ad vitandum malum illud, quae determinatio longe maior est, magisque contraria libertati; nam, supposita intentione vitandi illud malum, est quaedam necessitas simpliciter » (*De Religione*, Lib. VI, cap. IV, n. 7).

Revera si metus non ad matrimonium sed ad alium finem incussus fuit, deest relatio causalitatis immediatae et necessariae inter metum et matrimonium; matrimonium autem non est effectus necessarius metus ab extrinseco, sed electionis metuentis, qui ab initio voluntate sua in matrimonium dirigitur. In hunc actum electionis nulla vis ab alio homine infertur, quia matrimonium non intenditur a metum incutiente, ita ut matrimonium omnino improprie diceretur initum *ob* vim vel metum ab extrinseco incussum. Si metus e contra directe incutiatur ad extorquendum consensum, electio matrimonii non contrahenti sed metum inferenti tamquam propriae causae seu auctori est adscribenda, dum metum patiens voluntate sua non utitur nisi ad se subiiciendum voluntati alienae eamque exsequendam: « Formale discrimen in metu tunc solummodo habetur, quando causa libera humana intervenit: tunc agens ex metu sub dependentia ponitur innaturali et saepe illegitima alterius personae. Haec dependentia seu subordinatio ratio est cur lex divina vel humana actus quosdam ex metu factos ratos habere nolit » (A. Vermeersch, *Theologia Moralis*, Brugis, 1926, I, n. 79): tunc revera, imo tunc tantum, in consensu praestando nupturiens sentit se non determinatione suae voluntatis matrimonium inire, sed potius aliena (cfr. G. Dossetti, *o. c.*, pp. 547-548; O. Giacchi, *Il consenso nel matrimonio canonico*, Milano, 1950, p. 103 ss.).

Concludendum ergo videretur vim conditionalem quae, natura sua, ut initio vidimus, tamquam obiectum habet conformitatem voluntatis metum patientis ad voluntatem metum incutientis, iuxta can. 1087, § 1 effectum irritandi matrimonium non habere nisi matrimonium ipsum sit obiectum seu finis propter quod infertur: secus enim matrimonium neque voluntatem movet metum inferentis, neque metus incussionem determinat, neque ut medium imponitur ad vitandum malum comminatum, ita ut electio matrimonii ex voluntate procedat metuentis.

Conclusio confirmari videretur sive locis Codicis parallelis, sive Iurisprudentia N. S. T. textu et contextu Codicis innixa. Etenim in can. 169, § 1, n. 1, decernitur: « invalidum est suffragium, si elector metu gravi... directe vel indirecte, adactus fuerit »: quia pro metu incusso ad extorquendum suffragium eadem aderat controversia ac pro metu illato ad extorquendum consensum matrimonialem, si Codex sancire voluisset pro irritatione matrimonii sufficientiam metus indirecti, hoc expresse edixisset in can. 1087, § 1, sicut in can. 169, § 1, n. 1 pro suffragio (G. Dossetti, *o. c.*, pp. 209-210).

Jurisprudentia autem N. S. T. usque ad annum 1933 unanimis

fuit in exigendo metu directo (cfr. e. gr. DECISIONES S. R. ROTAE, vol. X, p. 15, n. 6, dec. d. 28 januarii a. 1918 *coram Sebastianelli;* ibid. p. 28, n. 2, dec. d. 18 februarii a. 1918 *coram Many;* ibid. p. p. 37, n. 2, dec. d. 10 maii a. 1918 *coram Sebastianelli;* ibid. p. 43, n. 3, dec. d. 6 iunii a. 1918 *coram Rossetti;* ibid. p. 52, n. 2, dec. d. 11 iunii a. 1918 *coram Sincero;* vol. XI, p. 73, n. 2, dec. d. 4 aprilis a. 1919 *coram Sincero;* ibid. p. 121, n. 4, dec. d. 8 iulii a. 1919 *coram Prior;* vol. XII, p. 43, n. 2, dec. d. 27 februarii a. 1920 *coram Sincero;* vol. XIII, p. 183, n. 2, dec. d. 2 augusti a. 1921 *coram Massimi;* vol. XIV, pag. 230, n. 2, dec. d. 12 iulii a. 1922 *coram Prior;* vol. XV, pag. 150, n. 2, dec. d. 10 iulii a. 1923 *coram Grazioli;* ibid. pag. 204, n. 2, dec. d. 2 augusti a. 1923 *coram Solieri;* ibid. pag. 213, n. 2, dec. d. 4 augusti a. 1923 *coram Massimi;* ibid. pag. 238, n. 2, dec. d. 10 augusti a. 1923 *coram Jullien;* vol. XX, pag. 273, n. 2, dec. d. 30 iunii a. 1928 *coram Massimi;* vol. XXI, pag. 161, n. 3, dec. d. 18 martii a. 1929 *coram Grazioli;* vol. XXII, pag. 442, n. 2, dec. d. 24 iulii a. 1930 *coram Mannucci;* vol. XXIII, pag. 103, n. 5, dec. d. 27 martii a. 1931 *coram Grazioli;* etc.). Unica exceptio constituitur sententia diei 9 ianuarii a. 1922 *coram Florczak* — vol. XIV, p. 3, n. 3 —, qui tamen postea contrariam sententiam professus est — cfr. vol. XVIII, p. 63, n. 2, dec. d. 6 martii a. 1926; ibid. p. 307, n. 2, dec. d. 5 augusti a. 1926 —. Immo, etiam post a. 1933 nonnumquam N. S. T. metum directum requisivit (cfr. DECISIONES S. R. ROTAE, vol. XXVII, p. 623, n. 5, decisio d. 2 decembris a. 1935 *coram Grazioli;* vol. XXVIII, p. 705, n. 6, decisio d. 6 novembris a. 1936 *coram Grazioli;* vol. XXX, p. 534, n. 2, decisio d. 8 augusti a. 1938 *coram Grazioli;* vol. XXXIII, p. 10, n. 2, decisio d. 17 ianuarii a. 1941 *coram Grazioli;* ibid. p. 346, n. 2, decisio d. 2 martii a. 1941 *coram Teodori*, Cfr. etiam vol. XXXI, p. 522. n. 2, decisio d. 16 octobris a. 1939 *coram Jullien;* vol. XXXII, p. 135, n. 3, decisio d. 16 februarii a. 1940 *coram Teodori*). Quibus probatur neque auctoritate P. GASPARRI, iuxta infra dicenda, omnia dubia fuisse dissipata (cfr. etiam F. X. WERNZ-P. VIDAL-PH AGUIRRE, *Ius matrimoniale*, ed. a. 1946, n. 501; H. NOLDIN-A. SCHMITT, *De Sacramentis*, ed. a. 1945, n. 634, 3°; TH. M. VLAMING-L. BENDER, *Praelectiones Juris Matrimonialis*, ed. a. 1950, p. 404; G. DOSSETTI, *ll. cc.;* O. GIACCHI, *l. c.*).

Nec nisi ob argumenta desumpta ex hac vis conditionalis natura, formula can. 1087, § 1 C. J. J. reformata fuit pro Ecclesia Orientali Motu Proprio *Crebrae Allatae:* haec enim mutatio explicari non potest mera ratione historica (cfr. A. COUSSA, *De Matrimonio*, n. 150), quae potissime valere debuisset pro C. J. C.: du-

bium sane non est formulam can. 78 Motus Proprii a Canonistis et Jurisprudentia Ecclesiae Latinae fuisse excogitatam, et ab iisdem in Orientales Synodos transiisse.

Contra necessitatem metus directi ad extorquendum consensum, obiicitur: sive directe sive indirecte incutiatur, ex metu oriri potest in subiecto patiente illa animi trepidatio, ob quam matrimonium ineatur, quod non iniretur nisi malum immineret; quia in utroque casu eadem habetur animi trepidatio, idem debet esse consectarium, id est matrimonii nullitas. Respondetur probatum non esse quod ex eadem animi trepidatione haberi debeat idem consectarium id est matrimonii irritatio, nam etiam ex metu ab intrinseco talis causari potest animi trepidatio, quin matrimonii nullitas consequatur. Tandem non absque ratione § 2 can. 1087 decernit: « Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert ».

Quamvis sententia quae necessitatem propugnat metus directi ad extorquendum consensum, perfecte logica et irrefutabilis appareat, constat eamdem a C. J. C. fuisse exclusam. Refert P. Gasparri in novissima editione sui operis: « Ut legitur in actis praeparatoriis ad Codicem, examini Consultorum propositus fuerat canon primae sententiae favens: § 1. *Nullum quoque est matrimonium initum ob metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum in ordine ad extorquendum consensum matrimonialem.* Praeses Commissionis recoluit gravem, quae in subiecta materia aderat, controversiam inter canonistas; et P. Palmieri proposuit ut formula, quae in suo voto erat quaeque utramque sententiam comprehendit, acceptaretur: *Metus debet esse ab extrinseco, iniuste incussus, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium*, quae reipsa acceptata fuit. Hinc iure Codicis nullum est matrimonium tum si metus gravis sit directe incussus ad extorquendum consensum matrimonialem, tum si ad hoc non sit directe incussus, sed pars persuasum habeat se ab eo liberare non posse, nisi matrimonium contrahat » (*De Matrimonio*, n. 856).

Quoad hunc textum animadverti potest argumentum desumptum e studiis praeviis legibus caute accipiendum esse, praesertim in jure canonico: « Sane, qui munus accipiunt a Sancta Sede legem praeparandi, nullo modo participant potestati legislativae, secus ac fit in comitiis Civitatum, et eorum doctrina et opinio est opinio viri privati » (A. Van Hove, *De Legibus ecclesiasticis*, a. 1930, p. 273, n. 265). Neque opinio relata P. Gasparri aestimanda est ut interpretatio authentica; at, quamvis ipse munere Praesidis

Commissionis pro Codice redigendo jam functus esset, quae ipse enarrat fidem plenam faciunt discussionis habitae de hac quaestione et mentis illorum qui Codicem pararunt. Iamvero praesumendum est « nisi contrarium constet, legislatorem verbis tribuisse sensum quem ipsis tribuerunt viri qui legem paraverunt » (H. I. CICOGNANI-D. STAFFA, *Commentarium ad primum librum C. J. C.*, a. 1939, vol. I, p. 296); quoties « legislator in lege sua fecit verba ab illis viris doctis proposita » (G. MICHIELIS, *Normae Generales*, ed. 1949, vol. I, p. 533).

Tali sedulitate in Codice parando quaestio nostra discussa fuit, ut nullum dubium supersit de voluntate tribuendi, saltem iure positivo, metui indirecto vim irritantem nuptias.

Relatam formulam D. Palmieri proposuerat in suo schemate a. 1905, eamque commendabat prout sequitur: « dummodo metus gravis causa sit ut quis invitus contractum ineat, contractus erit rescindibilis, seu inferens metum tenetur resarcire laeso omnia damna ideoque et rescindere contractum, quod in matrimonio fieri nequit nisi ab initio dirimatur. Sane c. 14 *De Spons.* omnis metus gravis excluditur ».

In sessione Consultorum d. 4 ianuarii a. 1906 textus propositus erat iste: « Nullum quoque est matrimonium initum ob metum gravem, naturalem, ab extrinseco, iniuste et directe incussum ad extorquendum consensum ». G. Sebastianelli proposuit suppressionem adiectivi « *naturalem* » utpote inutilis, et verbi « *directe* ». P. Bastien concinit cum Sebastianelli. B. Pompili approbavit suppressionem adiectivi « naturalem ». D. Palmieri refutavit opinionem Th. Sanchez et propugnavit sententiam J. B. De Lugo. P. Gasparri accessit ad votum D. Palmieri « riconoscendo in entrambi i casi: del metus *directe* vel *indirecte* incussus uguale diminuzione di volontà ». F. X. Wernz e contra hanc mutationem in formula proposuit: « ... iniuste et in ordine ad extorquendum consensum matrimonialem incussum ».

In sessione Consultorum diei 11 ianuarii a. 1906 textus propositus erat: « Nullum quoque est matrimonium initum ob metum gravem, ab extrinseco et iniuste incussum in ordine ad extorquendum consensum ». G. Sebastianelli et B. Pompili faverunt suppressioni verborum « ad extorquendum consensum »; P. Gasparri recoluit gravem de hac re controversiam in doctrina; D. Palmieri institit pro formula quam prius exhibuerat; G. De Lai textum omnino novum praesentavit, qui tamen reiectus fuit; F. X. Wernz defendit schema propositum, animadvertens iurisprudentiam S. C.

Concilii metum semper requirere incussum in ordine ad extorquendum consensum.

Sessioni Consultorum diei 25 ianuarii a. 1906 fere idem schema subiectum fuit ac praecedenti sessioni, id est: « Invalidum quoque est matrimonium ob metum gravem, ab extrinseco et iniuste incussum in ordine ad extorquendum consensum coniugalem ». G. Sebastianelli iterum favit suppressioni locutionis « in ordine ad extorquendum consensum », ne controversia definiretur; P. Bastien e contra approbavit schema uti iacebat; item G. Van Rossum et F. X. Wernz; dum D. Palmieri sententiam suam retinuit.

Congregationi Particulari EE. PP. Cardinalium diei 21 maii a. 1906 idem textus propositus fuit ac in praecedenti sessione Consultorum, addita in nota sententia D. Palmieri pro metu indirecto, quam Cardinales Ferrata, Gennari, Vives approbarunt. Inde omissa fuit clausula « in ordine ad extorquendum consensum ».

Haec decisio confirmata fuit ab EE. PP. in subsequenti Congregatione Particulari diei 16 iulii a. 1906, cui textus oblatus fuerat immutatus, id est cum clausula omittenda. Interim tamen, id est inter diem 21 maii et diem 16 iulii a. 1906, aliud verbum irrepserat: dum antea nulla mentio erat de vi, novum schema edicebat matrimonium invalidari *ob vim* vel metum. Quia ex actis non eruitur cuinam additio adscribenda sit, haec tribui nequit nisi P. Gasparri. Demum in schemate a. 1909 textus prostat prout postea sancitus fuit.

Concludendum est ergo iuxta Codicem metum quoque indirectum irritare matrimonium, id est etiam si non inferatur ad extorquendum consensum, sed alia de causa, e. gr. propter odium, vindictam, rapinam, etc., dummodo a causa extrinseca, libera et humana procedat, gravis sit et ad iniustum finem incutiatur, etiamsi a matrimonio diversum; quaproper applicanda sunt ea omnia quae supra tradidimus de qualitatibus metus invalidantis nuptias, iis tamen exceptis quae necessitatem respiciunt metus directi. Neque ad necessitatem probandam metus directi vim iuvat inferre in verbum *cogatur* (cfr. G. Dossetti, *o. c.*, p. 207 ss.): verum est D. Palmieri, qui textus can. 1087, § 1 artifex dici potest, alia antea formula usum fuisse, id est: « metus... a quo ut te liberes eligis matrimonium » (A. Ballerini-D. Palmieri, *o. c.*, n. 1129), sed huic mutationi nullum peculiare momentum tribuendum est, prout eruere licet e voto eiusdem D. Palmieri a. 1905, in quo simpliciter adnotatum matrimonium esse nullum, etsi contrahens metu ab aliquo cogatur ad ducendam e. gr. unam e puellis alicuius conservatorii.

Tandem quoad can. 1087, § 2 in Congregatione Particulari EE. PP. Cardinalium d. 21 maii a. 1906, P. Gasparri declaravit hac paragrapho reici falsam sententiam docentium metu etiam levi, dummodo causam dante contractui, matrimonium (in foro interno) irritari.

Iurisprudentia N. S. T. nunc communiter necessitatem excludit metus directi: ita imprimis sententia *coram Wynen* d. 5 decembris a. 1933, quae iure tamen necessitatem vindicat metus directi quoties agatur de metu reverentiali qualificato: Decisiones S. R. Rotae, vol. XXV, p. 608, n. 3. Postea: vol. XXIX, p. 783, n. 2, decisio d. 22 decembris a. 1937 *coram Jullien;* vol. XXX, p. 251, n. 6, decisio d. 27 aprilis a. 1938 *coram Pecorari;* ibid. p. 438, n. 5, decisio d. 20 iulii a. 1938 *coram Pecorari;* ibid. p. 650, n. 6, decisio d. 30 novembris a. 1938 *coram Pecorari;* vol. XXXII, p. 660, n. 3, decisio d. 3 augusti a. 1940 *coram Canestri;* ibid. p. 791, n. 2, decisio d. 16 novembris a. 1940 *coram Canestri;* vol. XXXIII, p. 518, n. 5, decisio d. 19 iunii a. 1941 *coram Janasik;* vol. XXXV, p. 468, n. 2, decisio d. 19 iunii a. 1943 *coram Heard;* vol. XXXVI, p. 361, n. 3, decisio d. 26 maii a. 1944 *coram Wynen.*

Quantum deceat in hac re, quae non respicit diversitatem ritus, sed libertatem consensus, eamdem normam vigere in tota Ecclesia, nemo est qui non videat.

Usque dum textus can. 1087, § 1 reformetur, censemus, intra limites ab eodem praefinitos, metum quoque indirectum irritare matrimonium initum inter unum fidelem ritus latini et alium ritus orientalis (cfr. decisio d. 23 martii a. 1956 *coram infrascripto Ponente*).

Sive matrimonium contrahatur inter duos fideles ritus latini, sive inter unum latinum et alium orientalem, sive inter duos orientales, necessarium non est quod metus ab incutiente inferatur ad contrahendum cum determinata persona (cfr. e. gr. Th. Sanchez, *o. c.*, L. IV, disp. 12, n. 20; F. Schmalzgrueber, *o. c.*, L. IV, tit. 1, n. 396; S. Rotae Romanae decisiones recentiores in compendium redactae, ad v. *Matrimonium contractum per vim et metum;* Decisiones S. R. Rotae, vol. VII, p. 112, n. 2, dec. d. 15 martii a. 1915 *coram Sebastianelli;* vol. XIX, p. 435, n. 2, decisio d. 19 octobris a. 1927 *coram Jullien*): etiamsi enim quis gravibus minis ad matrimonium in genere ineundum cogatur, e. gr. ne in ordinem religiosum ingredi possit, matrimonium ob metum contrahitur et ad illud voluntate aliena et iniusta compellitur; praeterea, ut supra vidimus, formula in Codice sancita omne dubium dissipari voluit de vi irritanti metus etiam ad matrimonium indeterminatum incussi.

Etiam si tandem quis necessitatem admittat metus directi vi can. 1087, § 1 in Ecclesia Latina, sicut ad normam can. 78, § 1 pro Ecclesia Orientali, certum est non requiri metum *ab initio* illatum ab extorquendum consensum: si enim momentum consideremus quod revera interest, id est quo consensus praestatur, metus ad illum extorquendum habetur etiam si immediate antea in eum dirigitur. Metum ab initio ad hunc finem incussum quidam requirebant fautores sententiae severioris (cfr. e. gr. D. Covarruvias, *Opera omnia*, Coloniae Allobrogum, a. 1724, Tom. I, p. 181 — *De Matrimonio*, pars II, cap. III, § IV, n. 25 — Th. Sanchez, *o. c.*, L. IV, disp. 12, nn. 9-11, quos refutavit post alios — cfr. L. Lessius, *De Justitia et jure*, L. II, cap. XVII, dub. 6, n. 40 et alios quos citat M. Wyszynski, art. cit. in *Jus Pontificium*, a. 1932, p. 46 — J. B. de Lugo *o. c.*, disp. XXII, sect. VII, n. 180. Cfr. etiam M. Rosset, *De Sacramento Matrimonii*, nn. 1304-1310). Illorum vero sententia excludenda est, nam, etsi initio metus ad alium finem directus fuerit, sufficit ut postea, id est oblatis nuptiis, in eas metus dirigatur ab incutiente, ut ab eodem extortae seu coactae dicantur. Iuxta hanc sententiam pluries pro nullitate concludendum erit in casibus qui inter Veteres controvertebantur (cfr. J. B. de Lugo, *l. c.*); insuper cum hac sententia concordat decisio sub veteri jure exarata a P. Lambertini, in *Vigilien.* d. 23 iunii et 13 julii a. 1725 - cfr. *Thesturus resolutionum S. C. Concilii*, *l. c.* - Accidere quidem potest ut, matrimonio oblato, ob timorem ad alium finem incussum, metum patiens illud ineat ex amore vel absque aversione; aut metum inferens a mali comminatione recedat independenter a matrimonio et hanc suae voluntatis mutationem ostendat: in his casibus patet matrimonium libere, non ex metu, contrahi; etenim qualiscumque metus ad annullandum matrimonium concurrere debet in ipso actu matrimonii, nec sufficit quod antea intervenerit (cfr. e. gr. S. Rotae Romanae decisiones recentiores, Pars IV, tom. I, dec. DC, n. 2). Pluries tamen contrarium concludendum erit: si enim metum inferens malum comminatur ob finem a matrimonio diversum, et a comminatione recedit propter nuptias sibi vel alii oblatas, pluries voluntatem simul ostendet malum iam comminatum infligendi, si metum patiens matrimonium recuset.

II°

Coram R. P. D. Carolo Lefebvre, *Ponente*

Nullitatis Matrimonii

SENTENTIA DEFINITIVA

(*Ob dementiam mulieris*)

1. - Anno 1948, die 19 iulii, in ecclesia Sancti Leonis matrimonium inierunt Mauritius, tricesimum annum ducens, et Agatha, quadraginta et tres annos nata. Felicem exitum initio habuit unio. At, incipiente proxime insequente anno separantur coniuges, familia viri interveniente; imo, paulo postea is mulierem in nosocomium detrusit; nihilosecius e manicomio dimissa, ea filium peperit. Tunc vero, mense maio 1949, maritus, qui psychopaticis studiis multum incumbebat, mente captos fuisse tum patrem, tum unum e coniugis fratribus novit. De hisce certioratus, suum matrimonium esse nullum contendit propter conditionem positam, non retractatam nec purificatam, de defectu amentium in suae uxoris familia, sicut propter coniugis dementiam, quam accusationem ultimam in iure non deduxit utpote difficilioris probationis.

Causa tamen instructa coram Tribunali X. negativam retulit sententiam, die 26 novembris 1952, a qua appellavit actor ad N. S. O., cui exinde pertinet dubii solutio: An constet de matrimonii nullitate in casu, actore se desistente ab instantia de restitutione in integrum praefatae sententiae iuxta epistulam 12 iulii 1954.

2. - In Iure. - Conditio de praeterito aut de praesenti in matrimonio posita non est nisi improprie intelligenda (D. 18, 7, 10, 1) de circumstantia a cuius exsistentia, voluntate positive praevalente, pendet matrimonii valor. Aliud est in casu voluntatis simpliciter absolutae seu generalis: tunc enim voluntas exsistit in genere determinatam qualitatem exigendi, at non ingreditur haec voluntas actu positivo contractum, sed extra illum remanet; consequenter iste contractus hac voluntate non afficitur, licet certa, sed est ab ea independens, siquidem defuit actus quo voluntas annectitur elicito contractui. In conditione vero posita nexus adest inter voluntatem exigendi qualitatem et ipsum contractum.

Ad istum nexum intercedentem inter voluntatem et contractum requiritur exinde saltem actus positive apponens conditionem, manifestans contrahentis diligentiam ad determinatam qualitatem requirendam.

Ad cuius denique actus probationem rigorosae postulantur pro-

bationes secundum antiquam iurisprudentiam (S. C. C. Bugell. 9 sept. 1893, Thesaurus, t. 152, p. 581).

3. - In Facto. - Testes omnes, sicut et partes, magna fruuntur credibilitate, quod tamen non impedit — humana data fragilitate — quin bona fide errare possint in factorum relatione, sed apprime non posse redargui videntur de falso.

Si inspiciantur quaedam saltem actoris declarationes, is videtur posuisse conditionem sine qua non. Ipse enim asserit: « Oui, je l'ai dit (sc. que jamais je ne consentirais à épouser quelqu'un qui aurait eu dans sa famille des malades souffrant de maladies mentales). D'une façon directe, claire et nette, je l'ai dit une fois » (24, 14 a), et pergit affirmans conventam si optime intellexisse (ib., d). Imo, dubium quoddam non apparet omnino defecisse, nam si repetit: « J'étais obligé de prendre sa parole... j'avais confiance en sa parole » (25, 16), et « Je n'ai pas fait d'autres démarches au sujet de cas de folie dans sa famille » (ib. 18), et denique: « J'avais la conviction qu'il n'y avait pas de maladie mentale dans sa famille » (26, 19), immediate subjungit: « Je n'étais pas tout-à-fait tranquillisé » (25, 16), unde contendit tenuisse conditionem: « J'ai donné un vrai consentement, en gardant mes conditions » (26, 20), et concludit: « J'avais posé cette condition que je tenais comme comme fondamentale » (ib. 22). Exinde, si verba attendantur actoris, non diffitendum est adfuisse veram conditionem non retractatam.

4. - Haec eadem tenere videntur aliquot testes, quorum primus pater eius: « Maurice m'a dit lui-même avant son mariage qu'il avait dit à elle-même (Agathe) qu'il ne consentirait jamais à marier quelqu'un qui aurait des fous dans sa famille » (42, 2), quod pluries fere eisdem verbis iterat (45, 5; 45, 7; 46, 9; 47, 13; 48, 15).

Andreas eiusdem generis rem profert, pari, ut videtur, certitudine: « C'est pour moi une conviction morale, d'après ce que Maurice m'a dit, qu'il en faisait une condition essentielle à son mariage » (66, 9; 68, 14).

Ludovicus in eumdem sensum deponere etiam videtur: « Il m'a dit cela explicitement au bureau et avant son mariage (sc. qu'il faisait de cette intention une véritable condition à la validité de son consentement matrimonial » (83, 4), et: « J'ai posé la question: Si les bans étaient déjà à l'Eglise, te rendrais-tu quand même à l'église pour le mariage si tu découvrais des maladies mentales dans la famille de la future épouse? - Il m'a répondu tout simplement: Non » (88, 8).

Ita postremo Joannes: « Pour Maurice, c'était une idée bien

définie... il était très catégorique et absolu sur ce point » (99, 7), et: « Il n'a pas abandonné ses idées » (101, 12).

Hae omnes assertiones, si veritati respondent, plene corroborare videntur actoris assumptum.

5. - Addere oportuit « si veritati respondent », nam revera duplicis ordinis difficultates aperte deprehenduntur:

1°) Iam allegati testes varios sese ostendunt inde a sua prima excussione; imo, quidam in evidentem incidunt contradictionem.

2°) Multi testes, non modo ex reae conventae familia, sed ex ipsius actoris propinquis, penitus ignorant quidquid ab ipso allegatur, quod nullo modo componi potest cum assertionibus datis, et saltem grave ingerunt dubium de earum veritate.

Primo, de variationibus, imo contradictionibus, quae reperiuntur in dictis allegationibus testium.

Ad quorum evidentiam praemittendum est adfuisse plures excussiones tum extraiudiciales, tum iudiciales, necnon epistulas ab ipso actore conscriptas, ut asserit ipse, unam sui patris: « Mon père a écrit la sienne, et c'est moi qui l'ai transcrite au dactylographe » (28, in.), dein alteram Ludovici, cuius declarationem ope telephonii transmissam ipse actor composuit (ib.), tertiam demum Joannis, cujus textum originalem etiam ipse Mauritius transcripsit (ib.), addens tamen nil fuisse inventum (« forgé ») in his litteris.

Nemo tamen negabit hanc animi agitationem penes actorem, tempore quidem suspecto, relate ad testes quos ipse autumat principales (26 ex off.) valde damnosam sibimetipsi esse.

6. - His praelibatis, neque negari potest horum testium incertitudo, imo quandoque contradictio.

In sua enim extraiudiciali excussione fatetur actoris pater: « Il déclarait la chose clairement, d'une façon générale, *sans l'appliquer en particulier* à Agathe » (41, 4), dum in iudiciali interrogatione fere post unum annum contendit: « *Il l'appliquait surtout même à Agathe* » (45, 6).

Andreas etiam in suis primis litteris valde prudenter loquebatur: « Il m'a *laissé entendre* qu'il ne consentirait jamais à marier une personne, qui que ce soit, qui aurait des... déments dans sa famille » (61, 16), quod asserit iterum in sua extraiudiciali excussione: « Il m'a *fait voir* au cours de conversationes que... » (62, 3), quod sane non tam clarum est ac declarationes antea relatae.

Idem est de Ludovico, qui, nonobstantibus assertionibus supra citatis, in extraiudiciali interrogatione, etiam eadem omnino verba pronuntiat: « Maurice *laissat entendre* que s'il y avait... » (83, 3),

dum in iudiciali excussione fatetur: « A ce moment-là, il n'appliquait ses paroles qu'à sa thèse. Il ne l'appliquait pas à son mariage » (87, 6). Interrogatus autem de istis apertis discrepantiis, aufugit in distinctionem inter res magis minusve definitas (91, 22), quamvis nullo modo appareat cur non attulerit iam prima vice istas determinationes tanti momenti.

Ad Joannem quod spectat, declarationes quaedam in investigatione extraiudiciali magnum saltem ingerunt dubium de veritate assertorum: tunc enim fatetur: « J'ai plutôt l'impression qu'il ignorait complètement l'existence de cas de maladie mentale dans la famille d'Agathe » (95, 4), et: « Les conversations portaient sur le mariage *en général* » (ib., 5); denique: « Il n'a pas été question de son cas en particulier » (ib., 6), item: « Il n'a pas été question en particulier de son mariage avec Agathae; je ne me rappelle *aucune déclaration formelle* de sa part à ce propos » (96, 9). Sibi deinde aperte contradicit in litteris 15 ianuarii 1950, scribens: « Je savais donc que M. ... entre ses fiançailles et son mariage me disait bel et bien, comme 2 et 2 font 4, que sa condition ne pouvait être appliquée qu'au mariage du 9 juin 1947... et automatiquement qu'à le seule personne bien définie et déterminée: Agathe » (97, 28). De cetero, in sua iudiciali excussione fatetur « se *nil scivisse ante matrimonium* » (100, 10), et se aestimare ultimam praeallegatam declarationem esse « nimis firmam » (103, 21) nam non meminit omnino verborum.

Haec de testibus quos ipse actor indicat uti potissimos.

7. - Si nunc transitus fit ad alios testes, quid mirum si nec conditionem praetensam, nec saltem assertam voluntatem cognoscent?

Mulier conventa ea omnia contendit esse falsa (36, 11), addens nullam quaestionem positam fuisse de amentia in sua familia (ib. 10), nec quid intellexisse de momento huius circumstantiae in mente actoris, (ib., 12). Quod confirmatur a sua sorore Liliana, quam multum fovebat (125, 10), adeo ut certe hoc sibi dixisset; et idem dicit Soror Amata a B. Virgine: « Agathe m'a dit: Je suis contente que Maurice ne m'ait pas parlé de cela » (141, 3).

Imo, nec ipsa actoris mater quidquam novit de his (134, 5, 6; 135, 9, 10), dum — quod apprime notandum est — vir eius contendebat: « Mon fils revenait *presque tous les jours* sur cette idée de ne jamais marier quelqu'un qui... aurait eu des fous dans sa famille » (45, 6).

Soror vero actoris solummodo refert: « J'ai l'idée qu'il parlait de cela d'une façon générale » (55, 6), addens tamen: « Je *m'imagine* qu'il devait l'appliquer à Agathe » (ib.), sed nec allegans ullum fratris verbum in favorem assertae coniecturae.

Frater Mauritii idem asserit: « Il ne me l'a *jamais dit avant le mariage* » (74, 5), subiungens actorem secum multum locutum fuisse de futuro matrimonio (174, 1).

Haec omnia etiam ignorat R. P. Dupont, actoris amicus, referens: « D'après ce que j'ai appris avant son mariage, Maurice n'était pas préoccupé de cette exclusion au point d'en faire la condition nécessaire à la validité de son mariage » (109, 11).

8. - Denique, ad existentiam verae conditionis dignoscendam, recurratur oportet ad id quod is qui eam apposuit egerit ubi noverit defectum conditionis: nonne, si hanc vere posuit, immediate nullitatem matrimonii proclamare debet?

In casu vero, cum mense maio 1948 actor a Maria didicit alios fuisse e familia Agathae in manicomio inclusos, nil dixit de matrimonii nullitate, imo studium ostendit coniugalem convictum restituendi (147, 13 et ex off.).

Quibus omnibus in iure et in facto consideratis, infrascripti Patres Auditores de turno, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, proposito concordato dubio responderunt ac respondent: *Negative*, seu *non constare de nullitate matrimonii, in casu.* Statuerunt praeterea expensas iudiciales esse ab actore solvendas.

Ita pronuntiamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc Nostram definitivam sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, iis adhibitis exsecutivis mediis quae opportuniora et efficaciora pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 13 iulii 1956.

III°

Coram R. P. D. Pericle Felici, *Ponente*

Nullitatis matrimonii

(*ob defectum scientiae de natura matrimonii*)

Decisio diei 13 nov. 1956

(*Omissis*).

In Iure. - 2. - De scientia in contrahente requisita circa matrimonii naturam statuit can. 1082, par. 1: « Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos ».

Illud: *non ignorent* innuit quidem scientiam, sed non undequaque plenam neque profundam: unde ad valorem matrimonii satis est ut contrahentes scientiam aliquam habeant, licet « imperfectam, involutam, obscuram, ex parte igitur explicitam in actu, ex parte implicitam in potentia », uti optime enuntiatur, iuxta constantem iurisprudentiam N. S. F., in una diei 21 decembris 1938 coram *Jullien*. Plura sane exquirenda non sunt a contrahentibus in re, ad quam veluti natura impelluntur.

Duo autem sunt a contrahente cognoscenda: consensus matrimonialis natura et matrimonii finis principalis. Attamen circa illam opus non est ut contrahens plene calleat doctrinam de natura consensus, prouti describitur in can. 1081: sufficit ut cognoscat matrimonium tanquam peculiarem quandam societatem inter virum et mulierem, ad peculiarem finem, id est prolis procreationem, consequendum. Sufficientem idcirco scientiam non haberet qui putaret matrimonium esse societatem inter virum et mulierem quidem, sed ob fines plane diversos ab enuntiatis in can. 1082, puta ad mutuum auxilium *unice* habendum, ad famulatum aliquem *unice* obtinendum, vel ad *pure* spiritualem amicitiam fovendam etc.

3. - Necesse insuper est ut non ignoretur finis matrimonii, qui est prolis procreatio: itaque non solum prolis ortus quicumque, vel donatio aut emptio aliqua: sed *prolis procreatio* facienda per aliquem physicum seu corporum coniugum concursum. Ius non exigit, neque ideo nos exigere debemus, ut contrahens sciat generationem fieri per copulam carnalem: adeo ut admittendus sit valor matrimonii, in quo contrahendo nupturiens sci verit tantum filios oriri per corporum commixtionem, factam tactibus, amplexibus et osculis.

Aliter quidem sentiendum foret, si contrahens, errore ductus devio, positiva intentione consensum suum ita coarctaret ut copulam, tanquam rem turpem et illicitam, e matrimoniali consortio excluderet: in hoc enim casu non ageretur de scientia sed de positivo actu voluntatis contra matrimonii naturam et finem, et matrimonium non vi can. 1082, sed vi can. 1086 nullum esset. Uti patet, probato errore non illico sequitur positiva limitatio consensus matrimonialis, licet error causam dederit contractui: enixis argumentis ea probanda est, cum consensus semper praesumatur conformis verbis ad illum manifestandum adhibitis (can. 1086 par. 1).

4. - Redeundo ad can. 1082 statuit paragraphus secunda: « Haec ignorantia post pubertatem non praesumitur ». Commentatur ci-

tata sententia coram JULLIEN, referens iurisprudentiam Rotalem, quam rigidissimam iudices appellati immerito appellant: « Natura post pubertatem res illas nos edocere solet, sin minus ad eas cognoscendas proniorem facit. Penes igitur nupturientem qui canonicam aetatem (can. 1067) habet, a fortiori si eam superavit, ignorantia notitiae requisitae ad legitime contrahendas nuptias non admittitur in foro externo, nisi concludentissime probetur Sane hoc de nullitatis capite sedulo audiendi sunt coniuges. At eorum assertiones, etiam concordes et iuramento firmatae, quatenus contra valorem matrimonii pugnant, non probant (can. 1715) sed plene comprobandae sunt, puta, per testes qui, fide dignissimi, de defectu requisitae cognitionis, non asserentes nisi suam solam ipsorum opinionem, referant facta aut verba, univoca, ac directe percepta tempore non suspecto. Considerandum est enim quod haud raro in causis istis allegantur puellarum verba, quae, si videntur significare ignorantiam rei uxoriae, utique tamen possunt componi cum notitia, confusa quidem, sed sufficienti ad normam can. 1082 par. 1, ut valide nubant. In dubio autem declarationi nullitatis strenue resistentibus cum praesumptione generali, tum praesumptione particulari relata supra, can. 1082 par. 1, pro valore matrimonii standum est ».

Iudices appellati tanquam exceptionem constantis iurisprudentiae Rotalis invocant *Romanam*, diei 8 iulii 1949, coram *Teodori:* sed nullam exceptionem continet decisio illa, quae facti speciem continet omnino singularem et defectum scientiae considerat in nupturienti physice et psychice non satis evoluta.

(*Omissis*).

IN FACTO. - (*Omissis*) - 7. - His positis, quae adminiculum ab appellatis iudicibus veluti adstructum labefactant (videlicet Mariam actricem vix potuisse cognoscere naturam et finem matrimonii), videamus quid reapse ante nuptias sciverit de natura et fine matrimonii actrix.

Noverat illa matrimonium esse societatem inter virum et mulierem permanentem et unam: « societatem obligationibus obnoxiam inter virum et mulierem, in qua mulier sequitur maritum, eius cognomen accipit et convictum coniugalem cum eo statuit ». Optime sciebat « uxorem docilem esse debere et oboedientem viro ». Compertum pariter habebat filios ex solo matrimonio nasci: « Censebam unos sponsos habere posse filios »: et propter hoc nupsisse convento: « Sperabam ego Dominum mihi esse gratiam prolis suscipiendae largiturum, cum nupsissem ». Sciebat insuper filios non a ciconia ferri, neque sub caule inveniri neque in mercato emi, sed efformari in sinu matris, quod plane ab ipsa matre

comperierat: « Quoad filios putabam eos missum iri a Domino, semper tamen, uti patet, nascendo ex ventre matris ». Postremo rite noverat uxorem concumbere cum viro et posse inter duos haberi affectus manifestationes: addit quidem actrix: « non magis quam inter amicos et sorores »: sed evidenter exaggerat, nam amici non dormiunt tam facile et licite in eodem lecto: et fratres et sorores, puerilem aetatem egressi, ab hac eadem re abhorrent. Quare autem actrix a primo osculo (ante quidem nuptias) abhorruit, si talis manifestatio affectus licita inter amicos et fratres consideranda erat? Ex alia parte actrici ignota non erat differentia inter sexus: « Aliquem conceptum de his rebus habebam, quia videram pueros et statuas ».

De aliis rebus ad generationem pertinentibus vix sollicita erat Maria et ad virum se remittebat.

Porro puella quae talia scit circa matrimonii naturam et finem, quomodo serio dici potest ignorasse matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos? Ignorabat *fortassis* copulam esse necessariam ad procreationem: sed, uti in iure diximus, huiusmodi scientia necessaria non est: neque constat ex actis Mariam exclusisse positive copulam ex suo consensu matrimoniali: quod caeterum plenae scientiae indicium esset et argumentum.

(*Omissis*)

Decisio fertur pro validitate coniugii.

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

FORMA MATRIMONII EXTRAORDINARIA, (c. 1098)

Claritate, eruditione, solida doctrina iuridica necnon prudentia in applicanda lege, recte interpretata, eminet disceptatio, quam, de re magni momenti actualis, publici iuris fecit R. P. Bidagor in *Monitor Ecclesiasticus*, 1955, fasc. 3. Agitur de canone 1098, quo imponitur et permittitur, potius autem permittitur quam imponitur [1], celebratio matrimonii in illa forma iuridica quae consistit in manifestatione consensus coram solis duobus testibus. Auctor disceptationem restringit ad applicationem canonis ad illos casus speciales, in quibus nupturientes non sunt impediti ne adeant vel secum habeant Ordinarium loci aut parochum, sed res versatur in talibus circumstantiis, ut Ordinarius loci aut parochus (aut sacerdos delegatus), etsi localiter praesentes esse possint, tamen ob grave incommodum arceantur ab assistentia ad normam canonum 1094-1096. In nostris regionibus, huiusmodi incommodum oritur ex hoc quod, ex una parte matrimonii civilis celebratio fieri nequit sive absolute sive nonnisi cum gravi incommodo, et ex alia parte celebratio coram sacerdote quin praecesserit celebratio civilis fieri nequit, quia lex civilis statuit graves poenas infligendas sive sacerdoti assistenti sive contrahentibus aliisve collaborantibus.

Scopus R. P. Bidagor erat proponere ius vigens circa hos casus, explicando sensum exactum aliquorum verborum canonis et applicando ius recte interpretatum ut obtineatur solida solutio casuum hodie frequenter occurrentium.

Haec omnia auctor tam bene tractavit ut nihil manere videatur addendum vel disceptandum. Natura rei et proinde inevitabiliter contingit ut auctor huiusmodi articuli quasi per accidens plura tangit aut innuit, de quibus pressius agere nec intendit nec potest, cum hoc excederet limites suae disceptationis. Attamen, de eo pressius agere mihi videtur utile in isto articulo, quem hic lectorum iudicio submitto. Fieri posset ut docta disceptatio P. Bidagor sit primus conatus ut perveniatur ad aliquam immutationem textus legis, qua ius melius provideret exigentiis boni communis.

---

[1] *Imponitur*, in sensu quod canon 1098 intactam relinquit obligationem contrahendi coram duobus testibus et sic, in connexione cum canone 1094, obligat ad hoc; *permittitur*, in quantum, vigente universaliter iure canone 1094 statuto pro contrahentibus qui in adiunctis descriptis versantur, tollit obligationem contrahendi cum assistentia sacerdotis praediti potestate assistendi, sustinens id ad quod aliunde iam tenentur, scilicet ut agant coram duobus saltem testibus.

Laudati articuli pars historica nos edocet cognitionem iuris canone 1098 statuti subiectam fuisse errori et incertitudini. Iurisperitus hoc perspiciens et persuasum sibi habens certitudinem iuris esse bonum maximi valoris pro vita fidelium sponte angitur quaestione: quibus causis malum designatum est tribuendum? Duae causae facile percipiuntur:

1. Interpretationes authenticae non raro carent illa claritate et verborum certitudine, quae enixe desiderantur. Historia canonis 1098 cum suis interpretationibus authenticis hoc indubie manifestat. Post promulgatum Codicem canonistae dubitabant et dissentiebant circa eius extensionem ad casum de quo nunc agimus: a. v. vigebat dubium utrum canon 1098 etiam respiceret illam absentiam parochi, quam plures iam tunc vocabant absentiam *moralem*. Ardente discussione, prodiit interpretatio authentica (data die 10 Mart. 1928): « An canon 1098 referatur tantum ad physicam absentiam parochi vel Ordinarii loci? R. Affirmative ». Haec interpretatio authentica apud omnes causavit certitudinem iuris. Attamen, post tres annos iam prodiit alia interpretatio authentica (data die 25 Iulii 1931), qua apparet sensum, quem vi prioris interpretationis omnes certo tribuebant canoni 1098 esse sensum proprie contrarium sensui canonis. Hoc enuntiatur verbis quae declarant quod casus, de quo nunc agimus et qui in iuris scientia vocabatur et vocatur casus absentiae *non physicae sed moralis*, comprehensus est sub verbo « absentia physica », prout in priore interpretatione authentica adhibetur.

Non videntur arguendi de spiritu hypocritico aut de defectu reverentiae erga superiores canonistae qui notant hunc procedendi modum in dandis interpretationibus authenticis non conducere ad finem naturalem cuiuslibet interpretationis, scilicet claritatem, certitudinem, cognitionem veram iuris. Nam in dubium vocari nequit: si dentur interpretationes authenticae, et prima causat apud omnes cognitionem certam *sed erroneam;* secunda superveniens praebet quidem cognitionem certam sed utitur verbis in sensu improprio, mysterioso et obscuro, ita ut, post eam datam, iuris scientiae periti etiam eminentiores nesciant utrum haec secunda interpretatio contradicat ideoque corrigat illam praecedentem an eam explicet; et si deinde S. C. de Sacr. adhuc opportunum putat tertiam dare declarationem authenticam de eadem re (die 24 Apr. 1935), videtur iustificata esse conclusio: textus harum interpretationum gravibus laborant defectibus [2].

[2] Sive secunda interpretatio corrigat primam, sive eam explicet, in utroque casu obscurus est sensus quem in prima interpretatione habet verbum: « absentia

Alia causa cui tribuenda est incertitudo vigens circa « quid iuris » et quae etiam in articulo P. Bidagor innuitur, est, quod auctores non pauci qui aggrediuntur opus interpretationis *doctrinalis* a. v. qui partes agunt interpretis *privati* non clare cognoscunt indolem et limites proprii officii. Sane, nullus datur auctor qui doctrinaliter seu expressis verbis sibi adscribit facultatem condendi ius, sive actu formali legislativo sive actu interpretationis authenticae, de qua est sermo in canone 17. Sed in praxi auctores privati saepe et praecipue si hoc ipsos iuvat, agunt ac si habeant potestatem dandi interpretationes extensivas aut coarctivas aut condendi ius in casu in quo legislator non condidit ius, quia omisit certa de re dare expressum praeceptum legis sive generalis sive particularis seu quoties agatur de sic dicta suppletione lacunae legis vel iuris (can. 20). Haec autem suppletio est actus, quo *conditur* ius saltem pro casu quodam particulari ideoque actus qui requirit *iurisdictionem seu potestatem*, qua caret interpres privatus, ut evidens est. Exemplum huius erronei exercitii operis interpretis privati nos praebet P. Bidagor. Postquam exposuit ius vi canonis 1098 vigens non impedire ne matrimonia valide contrahantur quin de celebratione publice constet et hoc continere grave periculum pro bono communi Ecclesiae — agitur enim de periculo ad quod praecavendum lex de forma servanda est constituta — auctor enarrat canonistas non paucos hoc malum ita grave aestimare ut doceant ad validitatem matrimonii celebrandi coram solis testibus in casibus de quibus hic agimus requiri licentiam Ordinarii loci aut saltem parochi. P. Bidagor merito reiicit hanc interpretationem. Sed e re narrata apparet tot canonistas carere recto conceptu de officio interpretis privati eiusque limitibus. Nam, nullo dubio obnoxium est et pacifi-

---

physica », si, ut ex secunda interpretatione constat, absentia physica comprehendit casum nostrum seu absentiam quae apud auctores vocatur *moralis*. Etenim, qui dicit « absentia *physica* », intendit aliquam absentiam distinctam ab absentia *non physica*. Quae est haec absentia non physica, si non sit absentia moralis seu absentia de qua nunc agimus?

Cum magna modestia in dubium vocare nobis forsitan licet nonne methodus praebendi interpretationes authenticas sub forma dubii cui respondetur uno verbo, scilicet « affirmative » vel « negative », sit causa plurium obscuritatum et dubiorum. Iam a priori expectari potest modum loquendi, ab hominum consuetudine in loquendo ita alienum, non esse valde idoneam ad clare et indubie proponendam veritatem et praebere certitudinem valde desideratam. Accedit ut canonistae saepe incerti manent de valore formulae, qua dubium proponitur, cum dubia alia ab ipsa commissione ad canones interpretandos, alia autem ab aliis, in materia non semper aeque peritis, conficiantur. Hoc non raro ansam praebet dubitandi de vero sensu, valore, extensione responsionis. Responsio enim saepe participat defectum formulae, qua dubium est propositum.

cum, sensum verborum canonis esse *clarum et certum*. Textum legis clare statuit: « in adiunctis descriptis *validum et licitum est* matrimonium contractum coram duobus saltem testibus ». Sane, celebratio valida et licita est *quantum ad formam celebrationis*. De hac re enim agit canon 1098. Quapropter fieri potest ut aliquod matrimonium sic celebratum sit invalidum aut illicitum ob violationem alius legis de alia re agentis et non de forma celebrationis, e. g. invalidum ob impedimentum dirimens consanguinitatis; illicitum tantum ob impedimentum impediens mixtae religionis vel voti simplicis.

Eodem modo fieri potest ut actus celebrationis coram duobus solis testibus sit illicitus, quia in casu contrahentes leviter agentes se exponunt periculo contrahendi invalide, cum non curent de praevia inquisitione de statu libero facta a persona competente quam absque gravi incommodo possunt adire. Sed repeto, quantum ad matrimonii formam servandam canon 1098 clare statuit huiusmodi matrimonium esse validum et licitum. Sequitur ut canonistae, qui propter periculum quod bono communi vident imminere, — etiamsi hoc videant cum maxima certitudine, et simul clare videant huic periculo seu malo non correspondere aliquod bonum pro eadem societate, quod absque lege, sicut nunc est, servari nequit, — repeto, etiamsi haec omnia clare et certo videant, isti auctores graviter excedunt limites proprii officii, officii scilicet interpretis *privati seu doctrinalis*, si propter hanc rationem canonem 1098 sic interpretantur ut declarent ad validitatem matrimonii necessarium esse ut nupturientes praevium obtineant Ordinarii vel parochi consensum. Nam ad interpretem privatum spectat explicare sensum, quem lex certe habet. Et si verba legis sint dubia aut obscura, ad eos spectat, ope mediorum interpretationis doctrinalis, detegere sensum quem verba habent si in contextu considerentur aut si ipsis recte applicentur normae quae continentur in secunda parte canonis 18, in canonibus 19, 22, 23, 6 et, si hisce omnibus non obtineatur certitudo, deducere ius certe vigens applicatione canonis 15 [8]. Sed haec omnia toto coelo differunt ab hoc, quod interpretes privati, a P. Bidagor memorati, faciunt. Ipsi ad aliquem finem attingendum; ad aliquod bonum consequendum vel malum pro societate vitandum praebent interpretationem canonis 1098, quae est *contraria sensui quem canon certo habet*. Hi autores *mutant* sensum canonis; tribuunt canonis verbis alium sensum quem habent, ut sic

---

[8] Vide: L. Bender, *Dubium iuris in canone 15*, in *Ephemerides Iuris Canonici*, 1955, n. 1

provideant bono Ecclesiae, vel ut amoveant ab Ecclesia grave damnum.

Sed iure condendo providere bono societatis eiusque membrorum est opus, quod absque ullo dubio excedit facultatem interpretis privati. Hoc exclusive competit legislatori seu societatis rectori et deinde personae quae nomine legislatoris agere potest, ad hoc *praedita potestate iurisdictionis*. Condere ius, etiam interpretatione quae certum sensum legis immutat saltem ex parte, et quae proinde est extensiva aut coarctiva [4], est actus auctoritatis legislativae; est actus potestatis regiminis. Ad hoc nullatenus capax est interpres privatus, proprie quia est privatus et proinde destitutus potestate legislativa et regiminis. Et sub hac potestate comprehenditur etiam potestas ut ita dicam legismutativa. Auctoritas doctrinalis, quam interpres privatus habere potest (non tamen semper et per se habet, quia quilibet homo potest se accingere ut proferat interpretationem legis), non sufficit ad mutandum ius. Neque sufficit auctoritas plurium privatorum consentientium [5]. Officium interpretis privati, videntis necessitatem vel utilitatem quae commendat ut sensus legis non sit sicut nunc est, a. v. videntis, ut aiunt, *rationem iuris condendi* (mutandi), restringitur ad hoc quod hanc iuris immutationem propugnet tractatibus scientificis. Sed executionem debet relinquere legislatori, ut hic immutationem perficiat sive mutando textum legis sive dando interpretationem extensivam vel coarctivam. Minime volo arguere P. Bidagor, sed mihi magis placuisset si in laudato articulo suo non solum sententiam horum auctorum reiicisset tamquam erroneam, sed notasset eam esse reiiciendam non tantum quia doctrinaliter falsam, sed etiam utpote fructum operis ad quod interpretes privati non sunt capaces. In hoc enim proprie consistit error horum auctorum, cum et ipsi in dubium non vocent verba canonis 1098 esse certa et clara.

---

[4] Interpretatio iuris restrictiva vel coarcitiva nonnisi improprie vocatur interpretatio. Revera est novi iuris creatio aut iuris hucusque vigentis abrogatio; revera est actus legislativus. Hic actus improprie vocatur interpretatio, quia fit in *forma* interpretationis. Idem valet de interpretatione authentica quae legem in se dubiam, dubio scilicet *obiective* indissolubili, interpretatur et unum sensum authentice statuit, alium authentice reiicit. Haec est ratio qua vi canonis 17 omnes hae tres interpretationes promulgari debent ut habeant vim iuris, et qua carent vi retroactiva. Sunt enim actus vere *legislativi*. Conf. Michiels, *Normae generales*. I, Cap. IV, art. I, n. 1.

[5] Hic merito applicatur: Magis et minus non mutat speciem; multi auctores privati convenientes aut consentientes non fiunt agens publicus seu potestate gaudens.

Hisce expositis, quasi prosequentes laborem a P. Bidagor peractum et pro parte quam sibi proposuit optime absolutum, duas quaestiones tractare nos iuvat, scilicet:

1. Quid vi canonis 1098 est validum, et praecipue quid licitum circa matrimonii celebrationem coram solis testibus, si adiuncta in dicto canone requisita adsint, sed agatur de sola impossibilitate *morali* assistendi?

2. Quae mutationes sunt commendandae, ut damna et pericula, ex iure nunc vigente imminentia, praecaveantur?

Ad primam quaestionem quod attinet, videtur dicendum in aliis partibus Codicis nihil inveniri quod iustificat vel minimum dubium de matrimonii sic celebrati *validitate*, etiamsi fiat absque ullo interventu praevio Ordinarii loci vel parochi; imo etiam si fiat contra expressam Ordinarii prohibitionem. Validitas tantummodo dependet ab *obiectivo* statu rerum seu adiunctorum. Si adiuncta in realitate adsint et partes, nullo impedimento dirimente retentae, verum praebeant consensum matrimonialem coram duobus testibus, matrimonium est validum.

Ex hoc solo autem non sequitur celebrationem etiam esse *licitam*. Qui autem contendit eam esse illicitam, debet assertionem rationibus probare desumptis extra canones 1094-1099. Matrimonii celebratio esset illicita si obstaret impedimentum prohibens, e. g. mixta religio; vel si celebrantes reciperent sacramentum in statu peccati mortalis [6]. Haec omnia autem sunt materiae, de qua agit canon 1098, prorsus *accidentalia*.

Dantur autem aliqui canones continentes normas, quarum observatio tam intime connexa est cum forma servanda, ut harum negligentia frequenter consequentias habet pro indole morali celebrationis coram solis testibus. Unde surgit quaestio annon horum canonum praecepta illicitam reddunt celebrationem matrimonii absque praevio consensu Ordinarii loci vel saltem parochi, si hic consensus absque gravi incommodo peti et obtineri possit. Sunt ca-

---

[6] Notandum autem est in hoc ultimo casu ipsam celebrationem matrimonii non esse illicitam, sed celebrantes peccare quia peragunt celebrationem licitam in circumstantiis quae eorum actum reddunt illicitum seu peccaminosum. In tali casu voluntas non eligit obiectum malum (matrimonium illicitum), quo fit mala *ex obiecto*, sed voluntas mala, scilicet agens contra virtutem prudentiae, agens ex gravi negligentia, hunc actum reddit actum malum. In tali casu verba canonis 1098 « matrimonium validum et *licitum* est » plene applicantur huic matrimonio et tamen contrahentes peccant, malitia quam canon 1098 non respicit, neque affirmans neque negans. Si canon 1098 haberet poenam ecclesiasticam adnexam, contrahentes in hoc casu non possent puniri utpote violatores huius canonis. Nam etsi peccent, tamen non contra hunc canonem.

nones agentes de praevia inquisitione et de matrimonii publicatione peragendis ante celebrationem. Ne autem erronee statuamus illiceitatem, quae in iure caret solido fundamento, caute procedamus oportet.

Notandum praeprimis est celebrationem ad normam canonis 1098 esse actum *nupturientium*, cum quibus, saltem communiter, coagunt testes [7]. Canones 1020-1034 sunt leges ecclesiasticae et ut sic dicuntur obligare *omnes* fideles, sed in hoc sensu quod nullus fidelis generaliter ab obligatione excipitur, sicut infidelis. Non tamen in hoc sensu, quod quaelibet lex ecclesiastica obligat *omnes* fideles. Nam saepe saepius ipsa lex designat personas, quas respicit et obligat. Sic canones tituli III libri II Codicis obligant solos clericos; canones capitis IX tituli VIII eiusdem libri solos parochos,

Quaestio nunc urget: quas personas respiciunt et obligant canones 1020-1034? Auctores hanc quaestionem non tractant et hoc facile explicatur, cum speciale momentum non habet nisi pro nostro casu. Ex tenore et verbis canonum apparet ipsos obligationem imponere solis iis, qui curam animarum exercentes vigilare debent ne matrimonia coram se aut coram alio ministro Ecclesiae celebrentur cum violatione legum divinarum et humanarum. Totus complexus praescriptorum supponit, tamquam eorum fundamentum, illam legem, qua fidelibus impossibile est valide contrahere absque assistentia sacerdotis ad normam canonum 1094-1097. Quapropter ipsis nupturientibus nihil praecipitur et de ipsis eorumque actibus non agunt hi canones. Illos respiciunt tantummodo in quantum sunt ut ita dicam *obiectum* actuum parochi, qui his legibus regitur [8]. Hi

---

[7] Dico: communiter, Non enim semper. Contrahere enim coram testibus etiam fieri potest ipsis invitis, cum quoad testes nihil aliud requiratur nisi praesentia et celebrationis perceptio. Celeber casus, quo partes vi vel dolo perveniunt ad praebendum consensum coram *parocho* et testibus, sub iure tridentino possibilis, hodie quoad parochum est lege exclusus (c. 1095 § 1, n. 3), non autem quoad testes.

[8] Duas normas quis ex hoc capite I adducere posset quae obligant alios. Praeprimis canonem 1021 § 2, qui obligationem imponit recipiendi confirmationem et quidem sponsis. Hic sane *sponsis* imponitur obligatio, etsi minoris momenti et sub conditione mitigante: si id possint absque gravi incommodo. Formula canonis tamen demonstrat, Legislatorem potius attendisse *ad parochum*. Dicit enim: recipiant... antequam ad matrimonium *admittantur*. Si praeceptum simpliciter respiceret sponsos, formula obvia esset: antequam recipiant sacramentum matrimonii aut antequam celebrant nuptias. Verbis: *antequam admittantnr*, praeceptum proprie iuridicum potius dirigitur ad parochum *admittentem*. Antequam admittantur enim hic significat antequam parochus eos admittat. Ipse debet curam gerere ut sponsi recipiant confirmationem. In quantum praeceptum respicit sponsos. agitur magis de actu quo praeparantur ad vitam christianam perfectiam, (etiam ut

canones ne imponunt quidem nupturientibus obligationem se conferendi ad parochum. Hoc enim superfluum esset, cum ad hoc iam compelluntur necessitate, vi canonum 1094-1095. Non enim possunt ad validam celebrationem procedere, nisi cum interventu parochi. Igitur, omnes obligationes, quae imponuntur canonibus 1020-1034, imponuntur parocho et non contrahentibus. Parochus est persona cuius actus reguntur his canonibus et proinde cuius actus sunt illiciti, si sint his praescriptis contrarii. Actus aliorum, notatim actus contrahentium et proinde celebrationem matrimonii utpote actum contrahentium isti canones non regunt. Quapropter si parochus transgressus fuerit aliquem istorum canonum, e. g. si duas publicationes iure praescriptas omiserit absque ulla ratione sufficiente et sic procederet ad assistendum matrimonio Titii et Caiae, hi duo, etiamsi optime noscerent parochi negligentiam et legis violationem, celebrantes nullam violarent legem ecclesiasticam; ipsi contra nullius canonis agerent praeceptum; eorum actus nullo modo esset actus legibus contrarius et proinde illicitus [9].

Ex hoc autem quod canones 1020-1034 non regunt nupturientes non sequitur ut aliquis actus eorum nequeat esse illicitus *ratione istorum canonum*, scilicet ex consequentia. Contingit enim ut non ipsa lex, sed legis consequentiae faciant, ut ego nequeam licite aliquid facere. Sic leges quae regunt validam consecrationem Olei sancti respiciunt tantummodo actus Episcopi consecrantis. Si vero ob violationem legum istarum oleum non sit valide consacratum, usus huius olei in administratione sacramentorum est actus illicitus; actus obiective illicitus, et proinde subiective illicitus seu malus, si sacerdos agens sciat leges esse violatas et proinde oleum non esse consecratum. Sed patet hoc non esse quia leges quae regunt consacrationem Olei Sancti obligant etiam hunc sacerdotem. Actus sa-

---

coniuges et genitores), quam quo praeparantur ad *celebrationem* matrimonii, de quo agit totum hoc caput I.

Deinde habetur canon 1027, qui, insertus inter canones de publicationibus matrimonialibus, statuit ut *omnes fideles* teneantur impedimenta si qua norint parocho revelare, a. v. adiuvare parochum in suo munere exercendo. Canon non proprie excludit *sponsos*. Sed haec lex non est pro ipsis condita, cum sponsi iam aliunde tenentur hac obligatione iuridica, scilicet ex praescriptis cc. 1036 et 1020 § 2. Quare insertio huius canonis 1027 in hoc loco non contradicit assertioni generali canones huius capitis I imponere obligationes *parocho, non sponsis*.

[9] Ipsi tantummodo tenentur habere certitudinem moralem quod matrimonii validitati et liceitati nihil obstat. Hanc certitudinem communiter habent ex eo quod parochus eos ad matrimonium admittit. Neque haec certitudo tollitur facto quod parochus non omnes peregit proclamationes.

cerdotis est malus vi *alius* legis eum obligantis, scilicet legis quae prohibet uti oleo non consecrato in administratione sacramenti.

In quantum ego video, praescripta canonum 1020-1034 non sunt huiusmodi, ut eorum transgressio ex parte parochi possit indirecte seu vi consequentiae transgressionis illicitum reddere matrimonii celebrationem in quantum ipsa est actus contrahentium. Neque illiceitas deduci potest ex hoc quod etiam nupturientibus gravat obligatio adhibendi media necessaria et praescripta, ne se exponant periculo contrahendi contra leges divinas et ecclesiasticas. Nupturientes habere obligationem curandi ne se exponant huic periculo, concedimus libenter. Haec obligatio profluit ex natura rei seu ex ipsa celebratione matrimonii. Ex hoc tamen non sequitur nupturientes habere obligationem servandi leges positivas circa determinata media, si hae leges non respiciant ipsos sed alios, nempe parochos. Nupturientes natura rei seu iure naturae habent obligationem curandi ne contrahendo violent leges divinas et humanas. Sed media, quae in canonibus 1020-1034 praescribuntur non sunt *natura rei* necessaria seu sola media, quibus hoc periculum sufficienter amovetur. Nupturientes possunt aliis modis sibi comparare certitudinem moralem de hoc quod suum matrimonium non est contra leges divinas et humanas [10]. Concludendum esse mihi videtur praescripta canonum 1020-1034 non reddere illicitam celebrationem matrimonii, factam ad normam canonis 1098 absque interventu praevio Ordinarii loci aut parochi. A. v. huiusmodi actus vi iuris communis non est actus illicitus. Utrum in casu concreto actus sit licitus an illicitus dependet a circumstantiis accidentalibus. Nam nupturientes sicut in omnibus actibus suis, etiam in celebratione matrimonii tenentur agere secundum normas virtutis prudentiae aliarumque virtutum quae omnes homines obligant non vi iuris positivi sed vi legis divinae naturalis. Ad quid autem agendi in concreto vi harum virtutum teneantur, dependet ab omnibus elementis actus concreti cum omnibus suis adiunctis.

Verba igitur canonis 1098: « validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus » sunt sustinenda in sensu

---

[10] Sibi comparare hanc certitudinem non est semper opus difficile; imo in multis casibus, praecipue quoties est evidens nupturientes numquam fecisse conatum ineundi aliquod matrimonium, res est sat facilis. Fere omnia impedimenta, quae contrahere possunt personae numquam nuptae sunt notoria; de aliis, inquisitio pro personis ipsis non difficilis (consanguinitas, votum). Insuper, natura rei non necessarium est rem committere parrocho, ut habeatur certitudo quam praebet iudicium viri iuris periti. Sufficit adire alium sacerdotem iuris canonici peritum eiusque audire iudicium.

proprio et pleno verborum. Canon expresse dicit huiusmodi matrimonium non tantum esse validum, sed et *licitum*. Hoc significat quod nulla lex neque divina neque ecclesiastica prohibet tale matrimonium et tale matrimonium est nulli legi contrarium. Certe, semper *per se*. Quid est ratione elementorum accidentalium in casu concreto, de hoc nihil in generali dici potest. Tale matrimonium est licitum, sicut manducare carnes die dominica est licitum; per se. Quid ratione circumstantiarum accidentalium, e. g. aegritudinis in generali statui nequit.

Hac doctrina ni fallor aliqualiter deflecto a doctrina quam P. Bidagor proponit (art. cit. p. 468). Ipse tenet recursum ad Ordinarium loci vel parochum esse requisitum ad liceitatem celebrationis extra casum periculi mortis. Rationes quas affert sunt: 1. quia praeter periculum mortis huiusmodi casus magnam habent similitudinem cum celebratione matrimonii conscientiae, quae a legislatore expressis verbis severissime subiicitur licentiae Ordinarii loci; 2. quia Ordinario loci vi canonis 336 § 1. incumbit officium urgendi observantiam legum ecclesiasticarum. Haec secunda ratio omnino non est solida. Nam ex hoc quod Ordinario loci imponitur obligatio (et proinde conceditur ius) urgendi observantiam legum non sequitur, ut fideles debeant ad Ordinarium recurrere antequam peragunt aliquid quod regitur legibus ecclesiasticis. Nam Ordinarii debent urgere observantiam *omnium* legum ecclesiasticarum. Quis tamen ex hoc deduceret obligationem fidelium, etiam sacerdotum, praevie recurrendi ad Ordinarium antequam peragunt aliquem actum in qua servanda est lex? Pressius in materia nunc agitata: Ordinarius loci debet urgere observantiam legum ecclesiasticarum circa celebrationem matrimoniorum non tantum quoad laicos sed etiam et magis adhuc quoad parochos. Sed quis dicet ex hoc sequi parochum non licite assistere vel non licite delegare potestatem assistendi, nisi praevio recursu ad Ordinarium? Canon 336 onus imponit Ordinario, non aliis circa quorum actus ipse debet urgere observantiam legum. Subditi hoc canone ad nihil tenentur nisi ad hoc ut non impediant Ordinarium loci ne leges urgeat. Ad primam autem rationem quod attinet notandum esse videtur quod similitudo inter matrimonium conscientiae et matrimonium celebratum ad normam canonis 1098 habetur sat magna. Attamen non licet non attendere ad elementa in quibus proprie sub aspectu iuridico hae res sunt valde diversae. Unde reguntur in capitibus distinctis et normis diversis. Relate ad matrimonium conscientiae dantur normae valde severae, sed *Ordinariis*. Matrimonium conscientiae autem est matrimonium quod ex se non est ligatum circumstantiis *extraordinariis*.

Per se quilibet fidelis semper et ubique posset contrahere matrimonium conscientiae. Inde necessitas statuendi normas secundum quas illi, quorum curae et assistentiae matrimonia celebranda in genere sunt commissa (cc. 1020-1034; 1094-1097) in hoc se gerere debent et normas quidem severas, quia matrimonio conscientiae adnexa esse solent damna vel pericula. Sunt enim matrimonia *secrete* celebrata. Inter has normas habetur illa, qua parochis prohibetur ut ea permittant; hoc reservatur Ordinario loci, ad quem proinde res est deferenda. Matrimonia autem coram solis testibus celebranda 1) per se non sunt occulta vel secreta; 2) celebrari nequeunt semper et ubique, sed dependenter a circumstantiis accurate descriptis in canone 1098; et quae sunt vere extraordinariae quas causare communiter non dependet a contrahentibus. Hoc inter duas materias discrimen sufficienter explicat normas statutas esse diversas. Sane, non nego dari rationes ut pro *parte* materiae, quae canone 1098 regitur, scilicet pro matrimoniis in casibus de quibus nunc agimus et quae manent secreta, statuatur aliqua norma similis normae statutae pro matrimonio conscientiae. Sed de hoc non agitur pro interprete privato. Ipse non *condit* ius, quia videt rationes quae hoc ius commendant. Nos, interpres privati debemus stare *textui et verbis legis* si sint clara et certa et nullatenus ambigua vel obscura. Haec verba legis sunt: « matrimonium coram duobus testibus validum et *licitum* est ». Ad nos interpretes privatos non spectat interpretatione nostra doctrinali declarare ad liceitatem requirere praevium recursum ad Ordinarium, solummodo quia nobis certum videtur dari rationem urgentem ut ius sit tale, si lex ipsa clare et indubie hunc recursum non exigit, quia simpliciter dicit « licitum est », quin aliquid alium exigat nisi ut vigeant adiuncta in lege descripta.

Ex dictis praeprimis sequitur vi canonum non dari obligationem praevie recurrendi ad Ordinarium. Insuper notandum est quod obligatio recurrendi ad Ordinarium, quam P. Bidagor ex analogia seu ratione similitudinis extendit ad matrimonium coram solis testibus, etiam in casu matrimonii conscientiae non imponitur *contrahentibus*, sed *parochis*. Est obligatio imposita iis, qui tamquam ministri Ecclesiae habent officium vigilandi de matrimoniis; non iis qui contrahunt [11]. Analogia hic ni fallor nimis late sumitur.

Reiecta doctrina quae docet *ius commune hodie vigens* requirere consensum Ordinarii vel parochi, ideoque recursum ad eos sal-

---

[11] Etiam hic valet: nupturientes tantum reguntur hoc canone, in quantum ipsi, vel melius dictum in quantum eorum actus (celebratio) sunt obiectum actuum parochi et Ordinarii loci.

tem ut celebratio sit licita, sponte alia surgit quaestio, scilicet: utrum iure particulari haec obligatio imponi possit?

P. Bidagor refert in Belgio iure particulari esse prohibitum ne quis ineat matrimonium coram solis testibus, applicans canonem 1098, nisi praevio consensu Ordinarii loci [12].

Pacificum est Ordinarios loci posse iure particulari prohibere id, quod iure communi non prohibetur et quod igitur vi solius iuris communis est licitum *quia non prohibitum*. Attamen etiam communiter docetur Ordinarios non posse iure particuliari prohibere id, quod iure communi positive statuitur licitum, a. v. quod subditis positive conceditur. Hoc tunc non est licitum *quia non prohibitum*, sed quia *positive permissum*, *concessum*. Exempla sunt omnibus nota. Ordinarius loci nequit prohibere ne aliquis qui habet potestatem iurisdictionem ordinariam aut potestatem delegatam ab Apostolica Sede hanc potestatem aliis deleget aut subdeleget (c. 199 § 1 et 2). Ordinarius nequit prohibitione sua illicitam reddere celebrationem trium Missarum in nocte Nativitatis Domini (c. 821 § 3). Ordinarius nequit iure particulari statuere ut sacerdotibus non liceat Missas cum stipendiis quae habent dare sacerdotibus quibus ipsis placet, etiam si hi sacerdotes habitant extra diocesim (c. 838) [13].

Responsio ad quaestionem utrum Ordinarius loci possit prohibere ne subditi sui contrahant matrimonium ad normam canonis 1098, etsi versentur in adiunctis in quibus valet hic canon, dependet igitur a responsione ad quaestionem utrum huius canonis verba « matrimonium validum *et licitum* est » habeant sensum « ius commune matrimonium non prohibet, cetero rem relinquit iuri particulari », an sensum « ius commune positive concedit ut in talibus adiunctis matrimonium celebretur, valide et licite, coram solis testibus ». Mihi videtur canon habere hunc ultimum sensum. Doctrina Vermeersch aliorumque, qui docebant tale matrimonium iam *iure communi* esse illicitum, cum recursus ad Ordinarium sit possibilis sed absque ratione gravi omittatur, est omnino canoni contraria. Sed nunc quaerimus, utrum saltem *iure particulari* tale matrimonium prohibitione reddi possit illicitum? Responsio affirmativa dari potest duplex. Aliquis tenere potest quod iuris particularis conditori competit potestas statuendi tale matrimonium pro suis subditis esse *invalidum*

---

[12] « Stricte prohibemus ne quis, extra periculum mortis, ad normam canonis 1098 matrimonium contrahere praesumat antequam tota res ad ordinarium loci delata eiusque responsum acceptum sit » (Conc. Prov. III. Mechlinense. can. 214).

[13] Haec ultima prohibitio in pluribus locis viget, sed facta est cum *expressa S. Sedis licentia*, petita et concessa, proprie quia ius commune agendi libertatem *positive concedit*.

et illicitum; vel tenere potest ei competere solummodo potestas statuendi tale matrimonium esse *illicitum.*

Ni fallor utrumque est reiiciendum tamquam canoni contrarium. Contra sententiam in primo sensu conceptam militat ratio quod tunc Ordinariis loci daretur potestas statuendi ius particulare circa formam ad validitatem servandam in celebratione matrimoniorum [14]. Hoc videtur a legislatione et traditione canonica necnon a doctrina communi omnino alienum. Legislator communis et ipse solus competit regere hanc materiam gravissimi momenti et hoc fecit canone 1094 pro casibus ordinariis et canone 1098 pro casibus extraordinariis, ibi descriptis. Contra sententiam in secundo sensu conceptam militat ratio (quae etiam militat contra sententam Vermeersch) quod in ea *arbitrarie* admittitur pro liceitate quod non admittitur pro validitate. 'Arbitrarie dico, cum canon uno tractu et absque ulla distinctione statuit huiusmodi matrimonium esse *validum et licitum.* Duae res, validitas scilicet et liceitas aequo modo statuuntur, in una eadem lege et legis parte seu phrasi. Videtur solidae interpretationis methodo contrarium legem sic interpretari, ut diversa pro istis diversis rebus (validitate et liceitate) admittuntur, cum etiam natura rerum id nullatenus exigat. Sensus canonis est clarus et certus: ad formam iuridicam servandam quod attinet pro liceitate omnino idem valet ac pro validitate [15].

Deinde oritur alia quaestio, scilicet utrum Ordinarius loci possit personis, quae nec iure divino nec iure ecclesiastico a matrimonio arceantur, prohibere matrimonium et quidem absolute? Ad hoc enim ducit doctrina, quae docet Ordinarium posse prohibere matrimonium iis, qui lege civili impediuntur ne hoc faciant in forma ordinaria. Proponamus casum. Titius catholicus gaudens statu libero cupit matrimonium inire, sed nequit contrahere civiliter (aut quia actu civili contraxit cum alia muliere et nequit obtinere sententiam divortii, aut quia non potest obtinere documenta lege civili requisita). Si Ordinarius eum petentem prohibeat (ipsi deneget consensum iure particulari necessarium) ne contrahat coram solis testibus (prohibet quia tale matrimonium non agnoscitur in foro civili et hoc est grave damnum), Titius simpliciter arcetur a matri-

---

Altra prova dell'alto riconoscimento pontificio fu la nomina del Card. Protettore nella persona del Card. Antonio De Luca, al quale poco dopo successe il Card. Domenico Bartolini, Prefetto della S. Congregazione dei Riti. Questa nomina elimina ogni dubbio dalla mente di qualche ipercritico ancora titubante nel riconoscere la legittima costituzione e consistenza giuridica ecclesiastica dell'Associazione Ceciliana. I rivoluzionari del 12 Ottobre vollero sottrarre alla giurisdizione ecclesiastica un Sodalizio che dall'autorità ecclesiastica derivava la sua esistenza giuridica. L'Associazione Italiana di S. Cecilia, ottenendo il Card. Protettore, ristabiliva sotto il potere dell'Autorità ecclesiastica le sorti di un Sodalizio che mai aveva perduto di mira il fine principale della restaurazione del canto e della musica sacra, anche nei vari periodi di crisi.

§ 6. Considerazioni giuridiche sull'Associazione Italiana di S. Cecilia fondata da D. Amelli.

In dottrina, come abbiamo notato nell'articolo precedente, gli autori sono stati sempre concordi nel ritenere illegale e invalido

---

[43] MSM. 1881 p. 18 e de Santi, La musica sacra e le presenti riforme: Civ. Catt. 1887 XII vol. VII p. 172.

ogni atto dell'autorità civile tendente a sopprimere o a modificare le finalità religiose di una Confraternita canonicamente eretta, dotata di personalità giuridica ecclesiastica. Tale atto illegittimo potrebbe paragonarsi ad una imposizione o costrizione da parte di nemici invasori di un dato territorio, i quali impedissero la regolare attività di una Confraternita [44]. In questo caso gli autori ritenevano prima del Codice, e ritengono anche oggi, che la personalità giuridica permane intatta insieme a tutti i privilegi spirituali e materali di cui godeva la Confraternita per cui, appena il pericolo o la causa dell'impedimento cessa, la Confraternita senza intervento alcuno di Superiori poteva e può riprendere pienamente la sua attività, non avendo perduto nulla nel periodo della crisi [45]. Quindi durante il periodo di stasi forzata di un organismo ecclesiastico la personalità giuridica rimane integra, senza che si possa parlare di cessazione di fatto sino a quando rimane anche uno solo dei membri legittimi del collegio: questo solo membro può perseguire le finalità della Confraternita [46].

Appena è possibile la restaurazione, anche con nuovi membri [47], senza bisogno alcuno di nuova erezione canonica, giacchè continua l'efficacia della precedente erezione canonica, la Confraternita riprende la sua attività con tutti i privilegi prima goduti, con l'intervento dell'autorità ecclesiastica nel caso che tutti i membri del precedente Sodalizio siano morti. Nel caso che un solo membro sia sopravvissuto il consenso dell'autorità ecclesiastica è opportuno,

---

[44] Bassi, De Sodalitiis q. II n. 8 p. 5: «... si vero ex aliquo casu, veluti metu pestis, seu belli, omnes confratres recedunt a civitate, tunc privilegia et Indulgentiae conservantur in loco ubi residebat Confraternitas; ... si vero daretur casus quod ab hostibus destrueretur, adhuc pristina privilegia remanent, et cessante hostium violentia, reassumuntur et reviviscunt»; Vidal P. S. J., De iure postliminii in foro ecclesiastico: Miscellanea Vermeersch vol. I 1935 p. 327-336.

[45] Michiels, Principia generalia de personis p. 442: «Hinc sublatis adversis conditionibus quibus persistentibus reviviscere non poterat, nil impedit ex parte iuris quominus statim ad vitam revocetur», riportando quanto scrisse Boxdixi, De personae moralis extinctione: Ius Pontificium 1923 p. 190.

[46] Michiels op. cit. p. 441 dove a proposito della desitio illegitima, cioè quando per imposizione esterna «iniusta vi publica decreta» o per illegittima determinazione dei membri, afferma che la persona morale può benissimo continuare la sua vita con alcuni membri anche se in altro luogo e in modo ridotto, perchè non c'è la «desitio de facto» sino a quando ci sia un solo membro legittimo.

[47] Vermeersch, De Religiosis 1902 p. 348 n. 555: «Defectus sodalium quo fit ut aliquamdiu nullus fuerit coetus, non tollit iura quaesita ex perpetua erectione. Quare, sine formali erectione, *nova sodalium cooptatione* Confraternitas instaurari poterit».

ma non necessario, come nel caso precedente [47]. Ben inteso però che questo intervento dell'autorità ecclesiastica non è una erezione.

Come abbiamo notato riportando i fatti storici della costituzione della Associazione Italiana di S. Cecilia tra i promotori del ricostituito Sodalizio ceciliano figura almeno uno dei membri della Congregazione Romana di S. Cecilia, il M° Meluzzi [49] e D. Guerino Amelli, sin dalla relazione fatta al Congresso Cattolico di Venezia, non si proponeva altro che riprendere gli scopi nobilissimi della Congregazione romana [50], mentre il Silipigni a Napoli, costituendo l'Accademia di S. Cecilia realizzando i voti del Congresso di Venezia, si proponeva « di restaurare all'indirizzo ecclesiastico la Congregazione Pontificale di Pio V sottratta alla protezione papale » [51]. Quindi nella mente e nell'opera dei fondatori ci fu, e chiaramente espresso, il piano di ripresa delle finalità religiose della Congregazione di S. Cecilia. Con l'intervento anche di un solo membro legittimo, continuatore dell'opera della gloriosa istituzione romana, e con l'aggiunta di altri che intendevano riferirsi ad essa, fu costituita nel 1880 l'Associazione Italiana di S. Cecilia, continuatrice della Congregazione romana.

E' vero che una certa diversità c'era tra l'antica Congregazone e la nuova Associazione italiana, ma le modificazioni apportate, lasciando intatte le finalità essenziali e la personalità giuridica ecclesiastica, davano soltanto maggior sviluppo territoriale all'antico organismo: modificazione ammissibile, specialmente quando questa era pienamente conosciuta ed approvata dalla suprema autorità ecclesiastica [52]. Questa non solo fu larga di incoraggiamenti, ma diede anche sanzione giuridica all'operato dell'Associazione, nominando il Card. Protettore, concedendo indulgenze per i soci

---

[48] Bondini art. cit. p. 190: « Plerumque tamen competentis auctoritatis consensus ut accedat oportebit, non quo persona in suo esse iuridico constituatur, sed tantum quo licita eiusdem, seu melius normalis fiat coexistentia cum aliis actualiter existentibus » e Michiels op. cit. p. 445: « Verum inde non sequitur interventu publicae potestatis, opus non esse et integrum esse v. g. quibusdam laicis ut efficaciter velint esse confraternitatis quae esse desiit, et sic nova vita confraternitatem donent. Sed si in nullo subiecto vivente ius sociorum permanserit, prorsus necessarius erit actus competentis auctoritatis » rifacendosi a Vermeersch. De personae moralis extinctione et resurrectione: Periodica XX (1931) p. 87.

[49] Cfr. Estratto degli Atti del primo Congresso Cattolico Italiano tenutosi a Venezia 12 al 16 Giugno 1874.

[50] Cfr. retro 4 di questo capitolo.

[51] MSM. 1882 Novembre p. 84

[52] De Santi, La musica sacra e le presenti riforme; Civ. Catt. 1887 XII vol. VII p. 172.

« ... e dichiarando in un documento della Congregazione dei Riti che l'azione della nostra Associazione era conforme agli Statuti approvati dalla S. Sede » [53].

E' anche vero che gli Statuti adottati da D. Amelli erano quelli dell'Associazione tedesca, ma, come abbiamo già osservato, ciò era occasionale, nel senso che quegli statuti erano già adattati alle nuove esigenze e avevano un carattere nazionale. Del resto gli Statuti dell'Associazione ceciliana germanica contenevano le linee programmatiche già proprie della Congregazione di S. Cecilia, alla quale si vollero ispirare anche i fondatori dell'Associazione ceciliana italiana. Adottare gli Statuti approvati dalla S. Sede per le Associazioni germaniche con il consenso della medesima Sede Apostolica, come abbiamo visto poco fa [54], rientrava nelle modificazioni ordinarie in facoltà dell'autorità ecclesiastica suprema, la quale, nella forma nazionale data dai fondatori del Sodalizio, ravvisava una migliore realizzazione delle finalità proprie dell'antica Congregazione di S. Cecilia « ut sacri concentus ad ecclesiastas merasque normas reducerentur » [55].

In quanto alla natura giuridica del nostro Sodalizio c'è una maggiore rispondenza alla distinzione che già si stava chiarendo nella dottrina canonistica e nella prassi della Curia Romana tra le Confraternite e le altre pie associazioni, perchè già nella « Multum ad movendos animos » si parla di « pia ... Sodalitia ... a S. Caecilia » [56] e più spesso « Associatio » [57].

La S. Congregazione dei Riti nel Regolamento del 1884 parla senz'altro di « Associazione » [58], mentre nella circolare che lo procede si parla di « Società di S. Cecilia », riferendosi però alle società diocesane, come allora erano chiamate le sezioni diocesane dell'Associazione Italiana di S. Cecilia [59].

Siamo maggiormente vicini alla classificazione definitiva che verrà poi sanzionata nel Codex iuris canonici con la qualifica di pia unione, la quale, se è « ad modum organici corporis constituta » è chiamata « Sodalitium ».

---

[53] Art. 16 del Regolamento del 1884 in Appendice Doc. 38.
[54] Ibidem
[55] Cfr. in Appendice Doc. 36.
[56] Ibidem
[57] Ibidem in seguito
[58] Art. 15-16 del Regolamento Doc 38.
[59] Appendice Doc. 38 Circolare.

Purtroppo le difficoltà non permisero allora il pieno sviluppo dell'associazione ceciliana, la quale subì ancora una crisi, una « quiescentia », che nulla però tolse alla sua natura giuridica

La Presidenza, trasferita a Roma, non dava segni di vita, ma le sezioni diocesane in alcune diocesi, per l'opera attiva di alcuni soci zelanti, costituirono il filo continuativo dell'Associazione in modo che, appena ripresa, tutti i soci sarebbero riapparsi a serrare le file intorno alla nuova Presidenza. Infatti i soci regolarmente iscritti all'Associazione del 1880 saranno i primi ad accorrere alla ripresa per riportare a nuove conquiste il sodalizio ceciliano.

Riccardo Ruotolo

RECENSIONES

RECENSIONES

Discorsi e radiomessaggi di Sua Santità Pio XII - *XVII - Diciassettesimo anno di Pontificato 2 marzo 1955 - 1° marzo 1956* - Tipografia Poliglotta Vaticana 1956, pp. v-644. s. p.

Indice delle materie contenute nei primi quindici volumi dei discorsi e radiomessaggi di Sua Santità Pio XII *2 marzo 1939 - 1° marzo 1954.* Tipografia Poliglotta Vaticana, pp. xvi-628. L. 2500.

Quotquot filiorum amore compulsi inflammatoque animo enunciatum volumen XVII perlegerint, quo, nitidis, quidem, litterarum formis, compacta continentur allocutiones et nuntia radiophonica a Summo Sacrorum Antistite, decurrente anno nuperrime dilapso, habita, sibi temperare non poterunt quin fateantur Illum indefatigabilem Veritatis Magistrum inchoibili in Ecclesiam caritate, paterna in Christifideles universos sollecitudine permoveri.

Qui Patris animi sensus manifesto erumpunt ex integro volumine, quod, orationum numero, sunt sane octoginta, ceteris, quae iam prodierunt voluminibus, praestat.

Quae in eo continentur orationes et documenta maximi momenti sunt, non solum quia eventus referunt notatu digna, (pp. 69, ss.; pp. 143, ss.; pp. 429, ss. etc.), sed etiam quia normas tradunt pretiosissimas, modo pro animarum pastoribus, (pp. 177 ss.), modo pro summis rerum puplicarum moderatoribus, (pp. 421 ss.), modo, *idque passim*, pro Christifidelibus (pp. 481 etc...).

Quamvis, uti par est, mihi fas non sit in praesenti, singula persequi, ex radiophonicis nuntiis illud memorasse iuvabit, quo, Summus Pontifex, in pervigilio Nativitatis D. N. I. Chr. a. 1955, increscenti armorum studio aperte damnato, varias edocuit rationes et normas, quibus rei militaris sedula inspectio fieri potest, ne quid detrimenti patiantur verae solidaeque pacis molimina et incepta.

Ex allocutionibus autem, quae de re sociali, vel de morum disciplina pertractant, peculiari mentione dignae videntur, sive allocutio ad plurimos opifices ex totius Italiae regionibus, in maximum Petrianum forum coadunatos, habita, Kalendis Aprilibus 1955, sive quam Summus Pontifex, sermone gallico, habuit, d. 8 ianuarii 1956, pluribus in arte obstetricia peritissimis cultoribus coram, de « l'accouchement sans doleur », (pp. 467 ss.).

Appendicis demum ad instar, (pp. 571-644), documenta quaedam sequuntur, sermone latino, vel germanico conscripta, in quibus principem locum tenent Litterae Encyclicae d. 25 decembris 1955 « Musicae sacrae disciplina » (pp. 571 ss.).

En tibi igitur, benevole lector, volumen, quod menti animoque erit nutrimento; illud attente pervoluta; illud, dixerim, *comede* quotidie: dul-

cissimam Patris in animo servabis vocem; Eiusdemque, in agendi ratione, praecepta.

Altero, cuius sum facturus iudicium, volumine, praeunte Em. Card. Nicolao Canali, felicem exitum tandem sortita sunt plurima, sive ex clericorum, sive ex laicorum ordine virorum optata, haud semel expressa, ut scilicet tot tantarumque Summi Pontificis allocutionum conficeretur index, qui, ordine rationeque compositus, integram earundem materiam, *tanquam in picta tabella*, lectoribus praeberet. Hinc enunciatus index cui absolvendo sedulo, per duos annos, adlaborarunt selecti Missionales vulgo « della Consolata » nuncupati, moderante Rev.mo P. Hygino Tubaldo, eisdem Congregationis. Res feliciter cessissae eis patebit qui, ut cetera mittam, vocabula inspexerint, ad iuris provinciam pertinentia: *Essenza - fondamento del Diritto cristiano; errori - diritto e forza; diritto e giustizia; diritto privato; diritto internazionale; diritto penale; diritto romano; diritto canonico; diritto missionario*. (pp. 145-150).

Dum eis vehementer gratulamur, qui diligentissime opus confecerunt, ex corde ominamur ut ceterorum, quae iam subsequuta sunt voluminum apti temporibusque nostris accommodati indices mature apparentur.

INNOCENTIUS PARISELLA

QUESTIONI ATTUALI DI DIRITTO CANONICO. - *Relazioni lette nella Sezione di Diritto Canonico del Congresso internazionale per il quarto centenario della Pontificia Università Gregoriana, 13-17 ottobre 1953*. Romae 1955, pp. 496, s. p.

Peropportune sane factum est, ut uno continerentur volumne, quas dissertationes insignes iuris canonici et civilis cultores ex diversis gentibus, et magistri, in enunciato congressu, recitaverunt. Earundem enim argumenta summi momenti esse omnibus facile patebit, qui vel indices perspexerint.

Ita, ut exemplum afferamus, reperiuntur commentationes, ob absolutam argumentorum tractationem peculiari mentione dignae, quibus appellatio: *De personalitate morali ex ipso iuris praescripto in Codice iuris canonici* (G. Mihiels O. F. M., pp. 1-79); *Parrocchia, chiesa parrocchiale e beneficio parrocchiale, come distinte persone morali nel diritto canonico e civile italiano* (F. Romita, pp. 111- 130); *Causarum piarum novae formae* (R. Bidagor, pp. 149-180): cui argumento clarissimus auctor modum imponit, eius summam, hisce Concilii Provincialis Westmonasteriensis II verbis: « Bona quae a fidelibus in religionis propagationem et decorem, cleri sustentationem, pauperum sublevationem aliosque pios usus erogantur, Deo et Ecclesiae donata censentur: eorumque administratores seu curatores, sive viri ecclesiastici, sive laici fuerint, nihil amplius quam eorum dispensatores, Deo ipsi reddituri rationem sunt habendi ». (p. 180).

Dignae quoque quae e ceteris dissertationibus indicentur hae sunt: *De condicione a qua pendet matrimonialis contractus* (D. Staffa, p. 219-242.); *An contractui matrimoniali conveniat pactum addictionis in*

diem, si in forma conditionali ponatur (P. Ciprotti, pp. 243-246). *De incidentia condicionis de futuro licitae in efficentiam contractus matrimonialis* (A. Origone, pp. 391-398); *De distinctione inter res iudiciales et administrativas in iure canonico* (S. Goyeneche, pp. 419-434); *De exercitio potestatis administrativae in ambitu tribunalium* (C. Bernardini, pp. 448-456); *De poenis infligendis via administrativa* (A. Arza S. I. pp. 457-476).

Quodsi quaesieris quibusnam virtutibus exornentur relatae ceteraeque dissertationes, id iudicium insedeat in animo: in eis nitere doctrinae soliditatem, rerum perspicuitatem, una cum recentissimae quoque bibliographiae usu; dum cuiuscumque auctoris, in rebus disputatis, sententia validis argumentis apparet fulcita.

Exinde copiosa materia praebetur omnibus qui Iuris canonici disciplinae excolendae provehendae operam navant.

Grates igitur et gratulationes agantur et habeantur plurimae singulis dissertationum auctoribus ac praesertim Rev.mo P. R. Bidagor, eximio Facultatis Iuris Canonici in Pontificiae Universitate Gregoriana Decano, qui, egregia qua pollet peritia, librum, cuius iudicium fecimus, edendum curavit.

Innocentius Parisella

Beste U., *Introductio in Codicem*, Ed. IV. M. D'Auria, Napoli 1956, pag. 1097.

Auctor professor j. c. in Pont. Athenaeo S. Anselmi de Urbe et Consultor S. C. S. O. elaborando Introductionem vertit totam mentem in hunc scopum, ut lectorem ad cognoscendum et penitius aestimandum Codicem manu veluti perducat. Unde ordini et textui Codicis adamussim inhaeret et singulos canones, si et in quantum explicatione indigere videntur, sobrie et practice explicat. Quattuor distincti characteres typographici sinunt nitide distinguere textum ipsius canonis, deinde interpretationem ipsius; characteres minusculi exhibuit uberiorem explicationem; tandem notae sub linea suis gaudent characteribus. Quia tamen in theologia dogmatica et morali materia de sacramentis, de abstinentia et jejunio, de voto et iuramento fuse proponitur, ideo abstitet B. ab expositione respectivorum canonum, allatis solummodo responsionibus et decisionibus post promulgationem Codicis a dicasteriis Curiae Romanae ad rem datis. Sacramentum tamen Ordinis maiore explicatione ditata est.

B. post allegatam Bibliographiam exhibet Prolegomena circa notionem, fundamentum, divisionem iuris universim spectati et iustissime carpit doctrinam pseudopoliticorum (Hobbes), defensorum et discipulorum pantheismi, materialismi, positivismi iuridici in sua duplici forma. In secundo titulo proponuntur *iuris canonici* notio, nomina, divisio, scientia, comparatio cum aliis disciplinis, tandem utilitas et necessitas. Loquendo de utilitate et necessitate scientiae j. c. B. eleganter notat etiam viros acatholicos illustres, prout Richter, Hinschius, Stutz

intensivo studio j. c. sese dedisse; laudabiliter addi poterit Feine, auctor operis eximii « Kirchliche Rechtsgeschichte », Band I, die Katholische Kirche; liber ex a. 1950-56 tribus editionibus iam gavisus est. De fontibus existendi j. eccl. tractat deinde tit. III. in cap. I; II. disserit de fontibus cognoscendi; speciale momentum tribuitur Pseudo-Isidoro; porro sequuntur Decretum Gratiani et Decretales et collectio novi iuris a Tridentino usque ad Codicem, cuius originem uberius explicat. In titulo quarto tandem exponitur doctrina de societate in genere et de Ecclesia qua societate in specie. Necessario B. intrat in quaestionem de relatione mutua inter Ecclesiam et Statum civilem explicatque quattuor systemata circa hanc materiam excogitata, sc. systema hegemoniae Status, hegemoniae Ecclesiae, separationis, praepotentiae Ecclesiae; asseclae huius sententiae defendunt potestatem Ecclesiae aut solummodo directivam aut etiam potestatem indirectam. Sequuntur Corollaria ex praemissis et Scholion, ubi tractatur placitum regis et quaestio de iure gladii in Ecclesia.

In expositione sobria canonum doctrina de Concordatis amplum locum occupat propositis et diiudicatis tribus theoriis. Ad can. 4 B. iuste notat: « interdum admodum difficile est discernere legem particularem ab indulto vel privilegio vi actus particularis dato ». Bene explicantur verba: « iura aliis quaesita ». In can. 6 n. 5 auctor propugnat opinionem: hoc canone non comprehenduntur leges particulares praeter legem Codicis latae; ideo tenet poenam excommunicationis a Conc. Balt. III latam in eos, qui post divortium civile attentant novum matrimonium civile. In tractatu de legibus notes auctorem legis, vacationem legis in favorabilibus, retrotractionem. B. censet leges mere poenales etiam existere in Ecclesia. Quaenam est obligatio legis pro dubie baptizatis? Quid de epikeia in j. c.? Scribit: « Doctores communiter excipiunt leges irritantes et inhabilitantes, quia hae leges urgentiori ratione prospiciunt bono communi et ideo oportet inviolabiliter observentur. Pauci vero auctores etiam in his legibus usum epikeiae non excludunt. Sic ex epikeia instructum volunt sacerdotem iurisdictione in proprium complicem in casu urgentissimae necessitatis ». Can. 20 illustratur exemplis et in can. 24 tangitur doctrina de praecepto communi. Introductio ad titulum de consuetudine distinguit consuetudinem a similibus Institutis, ut sunt « mores et usus, observantia, ius traditum, praescriptio ». Notandum est, quod B. disserit de consuetudine in sacra liturgia et iuste admittit etiam ocnsuetudines in materia liturgica. Caput grave de supputatione temporis fusius explicatur et variis exemplis illustratur. Quid de actibus iuridicis in confiniis zonarum? B. respondet: « Specialis difficultas quandoque oritur in confiniis zonarum, ubi fidelis durante nocte ab uno in alium locum integra hora a priori differentem transit. In tali hypothesi putamus supputationem celebranti vel communicanti favorabiliorem adoptari posse. Quare sufficit, si sit ieiunus a media nocte iuxta tempus loci ubi celebrat vel communicat (tempus usuale), etsi comederit post mediam noctem iuxta tempus loci ubi versabatur. Vicissim sufficere opinamur, si sit ieiunus

a media nocte iuxta computationem, ubi aliquid cibi vel potus sumpserit, licet non sit ieiunus iuxta tempus loci, ubi mane sacrum facere vel communionem recipere intendit ». Ex tractatu de Rescriptis omni attentione digna est haec animadversio: « Si contingat ut in re matrimoniali duo simul impedimenta concurrant, aliud publicum fori externi, v. g. consanguinitas, aliud occultum fori interni, puta crimen, speciali cautione opus est. Prius comparari debet dispensatio super impedimento fori externi, reticito occulto impedimento, et ita, eo obtenta, cavetur matrimonii contrahendi validitas in foro externo. Deinde, adhibitis oratorum nominibus fictitiis, dispensatio impetrari debet a S. Poenitentiaria, cui utrumque impedimentum proponendum est. Concedendo hanc dispensationem, S. Poenitentiaria, simul sanat dispensationem a publico impedimento, quae revera in foro interno nulla erat ob subreptionem, et ita, pro utroque foro, salvum manet perpetuo matrimonium celebrandum »; item respicienda sunt dicta de clausulis essentialibus et accidentalibus; de vi absoluti ablativi. De recursu ad S. Poenitentiairam B. scribit: « Attamen ipsemet confessarius instantiam ad S. Poenitentiariam directe defert iis in casibus ubi recursus per ordinarium adduceret periculum violandi sigillum sacramentale. S. Poenitentiaria nunc adiri potest quovis idiomate ». Instantia sequenti modo instituitur: « Inscribitur epistola exterius: Sacra Penitenzieria, Via della Conciliazione 34, Roma, Italia, - S. Poenitentiaria, expressis verbis, omnes et singulos moderatores conscientiarum monitos vult, ne casus occultos ad forum conscientiae pertinentes per litteras apertas, manu tradendas procuratorum, vulgo *agents*, *agenti*, exponere audeant; sed ut huiusmodi litteras ceterasque omnes, quae pro opportunis declarationibus, vel supplementaribus informationibus exhibendis, sint addendae, directe, ad Sacram ipsam Poenitentiariam vel ad E.mum Card. Poenitentiarum Maiorem, aut per publica epistolarum diribitoria, vulgo *public post*, *posta*, aut, si procuratorum ope uti eis placeat, sub peculiari involucro bene clauso et reticitis partium nominibus vel adhibitis nominibus fictitiis (Titius, Caia) mittere velint (S. Poenit., 1935, sine appositis die et mense - AAS, XXVII, 62) ». Circa privilegiorum conceptum et divisionem hanc notam praemittit: « Privilegium (favor, gratia, indultum, indulgentia, beneficium), etymologice spectatum, idem sonat ac lex privata seu lex privatorum; realiter spectatum, usurpari solet modo subiective modo obiective et posteriori sensu iterum vel stricte vel late. *Obiective* et *stricte* sumptum *privilegium* definitur *lex privata aliquod speciale et permanens beneficium aut favorem contra vel praeter ius concedens* ». Circa usum privilegiorum scribit auctor: « sacerdos, donatus privilegio sacelli privati cum potestate ibidem satisfaciendi praecepto, iuxta plures, aliis tamen contradicentibus, ibi celebrare tenetur, si diebus praeceptis ob infirmitatem e domo egredi non valeat ut missam audiat ». Illud « iudicio Superioris » in can. 77 intelligit B. de Superiore, qui privilegium concessit, vel de huius successore vel delegati. Exponendo can. 81 B. notat: « Doctrina hucusque recepta, quae ordinariis vindicabat potestatem dispensandi in leviori-

bus aut fere quotidianis materiis, iam non amplius sustineri potest sed Codici standum est ». Hisce verbis addi poterit: « salva legitima consuetudine in contrarium ». Verba can. 81: « difficilis sit recursus ad S. Sedem » B. iuste ita explicat: « Haec conditio obtinet, si intra tempus utile ad evitandum periculum damni optata dispensatio a Sancta Sede per viam normalem et ordinariam litterarum, exclusis iuxta stylum curiae telephonio, telegrapho, via ferrea vel aerea, curru automobili velocipede, bicicletto, motocicletto vel alio vehiculo, impetrari nequeat. Pro hisce regionibus ultramarinis ordinarie exiguntur duo fere menses ad mittendas et recipiendas litteras recursus. Tempus non est scrupulose aut meticulose sed moraliter et prudenter aestimandum. Attamen ordinarii uti nequeunt facultate huius canonis, quoties facile recurrere possunt ad legatum Romani Pontificis in regione, qui cum Sancta Sede communicet ». Recte sumitur in can. 88 § 2, § 3 illud » censetur » pro mera praesumptione iuris. Si auctor sequens Wernz-Vidal pro pluribus territoriis *accuratam* periodum pubertatis quoad *menses et annos* assignat, Iuristae Romani dicunt: « ius abhorret definitionem ». Casalini, Dizionario di Medicina v. pubertà enim tenet: « la pubertà nel nostro clima (Italia) e per la nostra razza si etsende dai *12 ai 15 anni* nelle ragazze, dai *14-18* nel ragazzo ». Ad can. 93 § 1 B. tractat de domicilio necessario personali seu proprio et de domicilio religiosorum. Optime declaravit archiep. Mechlinien. 15. I. 1836: Superior cuiusvis domus exemptae est parochus ipsaque domus est quodammodo parochia religiosorum in ea habitantium ». Ad axioma receptum: « domicilium, adque necessarium, regularis in suo conventu acquirit » confer Periodica, vol. IV. p. 189. Auctor disserit de Clero Orientali a pag. 150-155 sub quadruplici ratione: I. « de clero graeco-rutheno curae pastorali in Canada et Statibus Unitis addicto »; II. « de clericis orientalibus ex territorio orientali ad spirituale ministerium proprii rtus fidelibus praestandum in Australiae et Americae, sive Septentrionalis sive Centralis sive Meridionalis, regiones se conferentibus ». III. « De clericis orientalibus sive saecularibus sive religiosis, qui ex oriente in praefatas regiones non ad sacrum fidelium sui ritus ministerium, sed ob aliam quamlibet causam proficiscuntur ». Uberius B; tractat de persona morali notatque iuste ad can. 101 § 1 n. 1: illud « dirimat »: « forma grammaticalis huius verbi est imperativa ac proinde praeses voto suo uti debet ad decidendum negotium ». Quod attinet sanationes actum invalidorum, optime notatur: « Actus infirmi sanari possunt: 1. *Per ratihabitionem*, quoties defectus actus provenit ex voluntate agentis, uti in can. 214, § 1; 1684, § 2; et 1688. Hoc valet de actibus rescindibilibus tantum, non vero applicatur actibus vitio nullitatis infectis. - 2. Per *convalidationem* ope actus quo renovatur consensus iuxta can. 586, § 2, et 1133-1137. - 3. *Per sanationem a Summo Pontifice concessam*, dummodo requisita essentialia iuris naturae perdurent in actu qui sanadus est Ita aliquando sanantur electiones, alienationes, erectiones, concessiones indulgentiarum et dispensationum, professiones votorum, etc., imo et matrimonia servatis

canonibus 1138-1141. Episcopi aliique praelati inferiores illos solos actus sanare valent, quorum invaliditas repetitur ex requisito ad ipsis statuto. - 4. *Per lapsum temporis* in casibus a iure explicite admissis, v. g. in can. 1894 sq. - 5. *Per correctionem erroris* materialis a iure permissam ad normam can. 59 § 1, et 1878, § 1. - 6. *Per exstinctionem actionis* praescriptioni obnoxiae, uti in can. 1446 et 1701 sqq. ». Illud « satis est » in can. 105 n. 1 sobriam invenit interpretationem. Fusius explicatur quaestio de incardinatione mediante prima tonsura. Per transennam notatum sit, quod valor operis etiam augetur ex illo, quod ponuntur respectiva formularia v. g. p. 176-180 pro incardinatione et excardinatione, de iuramento praestando; pag. 251 pro recursu ad Curiam Romanam; p. 392 pro litteris testimonialibus ad normam can. 545; pro notitia parocho baptismatis dando circa professionem solemnem, p. 416; p. 557 pro litteris dimissorialibus clericorum saecularium et religiosorum; p. 564 sq. circa praemissam instructionem pro clericos ordinandis; pro inquisitione a parocho facienda; p. 568 sq. pro declaratione a candidatis religiosis ante susceptionem subdiaconatus manu propria subscribenda et pro petitione ante expletum novitiatum manu propria a novitio subsignanda et superiori porrigenda; p. 583 pro litteris testimonialibus pro ordinatione et pro iuramento ad normam can. 994 § 2; p. 584 pro litteris rogatoriis ad parochum dirigendis; p. 870 pro libello accusatorio conficiendo. Quod attinet privilegium fori, B. concedit in quibusdam nationibus ipsum derogatum esse ex tacita tolerantia Sedis Apost. vel contraria consuetudine v. g. in Germania et Belgio. Speciali modo tractatur quaestio de frequentia Universitatum saecularium, de munere magisterii gerendo in publicis scholis, de coelibatu, de capillorum simplici cultu adhibendo quin praetermittat quaestionem de Radiaesthesia et de spectaculis, choreiis et pompis, quae clericos dedecent. Specialem attentionem B. tribuit mercaturae et collocationi nummorum in obligationibus et actionibus. Locutus B. de iurisdictione ordinaria et delegata propria et vicaria iuste notat: « Locutiones *potestas mandata* pro delegata, *quasi-ordinaria* pro vicaria, haud raro occurrunt in scriptoribus et textibus iuris Codice anterioribus, sed nunc in Codice ignorantur neque videtur ratio eas denuo innovandi ». Circa errorem communem, qui latius proponitur, B. censet: « Necesse non est, ut ipse exercens iurisdictionem suppletam pariter in errore versetur, quamvis, ut licite illa utatur, requiratur gravis necessitas aut saltem causa proportionate gravis ». Censori videtur: *si* habetur error communis aut dubium positivum, Ecclesia vi can. 209 supplet *iurisdictionem*. Iamvero, si ipsa Ecclesia supplet, data est *vera* iurisdictio, et hac iurisdictione potest quis uti, sicut qualibet alia iurisdictione ex quocumque titulo proveniente Causa gravis tunc tantummodo requiritur in illo casu, quo utens potestate can. 209 sive uti poenitens sive uti confessarius *prudenter dubitat*, utrum revera adsit error communis aut utrum dubium sit vere probabile. B. tenet errorem interpretativum uti sufficientem pro applicando can. 209; scribit enim: « Communis error duplex in iure distinguitur, nimirum error actualiter seu de facto communis et

error interpretative (fundamentaliter) seu de iure communis. Prior habetur, quando maior pars fidelium in aliquo loco (dioecesi, pago, paroecia, capitulo, communitate) actu errat, falso existimans potestatem legitimam competere alicui ministro actum ponenti, ubi tamen de facto non adest. Posterior verificatur, quando is exsistit rerum status eaque sunt casus adiuncta, quae ex se apta nataque sunt ad prudenter omnes vel fere omnes in errorem inducendos, si res suum cursum naturalem sequatur. In tali hypothesi parvi refert, utrum multi an pauci errore afficiantur, nam error iam ab initio fundamentaliter subsistit et, si ob peculiares circumstantias unus tantum vel perpauci in errorem de facto ceciderint, id casu pure fortuito evenit, quod nempe unus tantum vel alter nactus sit occasionem adeundi superiorem iurisdictione carentem. Quaeritur itaque qualis error iuxta canonem nostrum exigatur? Sunt qui opinentur et asserant priorem errorem de facto communem a canone requiri, ut ecclesia iurisdictionem supplere censeatur. Nos non ita. Pro certo tenemus posteriorem errorem interpretative communem in sensu explicato plane sufficere ad suppletionem iurisdictionis deficientis. Cui opinioni adstipulantur complures canonistae et moralistae ». Opinio a B. defensa summam vim exseret in quaestione de assistentia matrimoniali in casu delegationis non datae aut invalidae, imprimis post decl. auth. 26. III. 1952 circa sacerdotem qui carens delegatione assistit matrimonio. Quoad resignationem R. P. (can. 221) B. scribit: « Docent haud pauci canonistae, dignitatem pontificiam, praeter mortem et abdicationem, etiam amitti per lapsum in certam et insanabilem amentiam, quae iuridice aequiparabilis est morti, necnon per manifestam et notoriam haeresim. In posteriori casu papa de sua potestate exciderent ipso facto et sine ulla sententia, quippe cum prima sedes a nemine iudicetur. Nam per lapsum in haeresim, pontifex desinit esse membrum ecclesiae; iamvero qui non est membrum societatis, manifeste neque eius caput esse potest ». Novissimi auctores, prout Feine, Eichmann-Moersdorf sub silentio nominatas possibilitates transeunt; cf. can. 87; Ingelfinger die Kirchlichen Verhältnisse p. 92 et 95. Circa designationem successoris notat B. « Controversa est quaestio, num papa designare possit sibi successorem, prout Felix IV († 530) traditur sibi constituisse Bonifacium II sum successorem. Alii affirmant; alii negant; alii admittunt saltem in casu singulari et extraordinario, suadente vera necessitate et utilitate ecclesiae ». Toso, Comment. min. ad can. 219 propugnat opinionem, quae asserit Papam posse nominare suum successorem, allegando auctores novos et antiquos; cf. Analecta I. P. vol. XI, col. 877 IV. Maiorem ambitum B. concedit familiaribus Romani Potnificis, sc. Protonotariis, Praelatis domesticis, Cubiculariis. Ex iure de Religiosis notanda veniunt monasteriorum uniones seu foederationes etiam respectu regularium mulierum, vota simplicia monialium in Gallia et Belgio, erectio Congregationis juris Pontificii, Confoederatio Congregationum benedictinarum, Capitula in O. S. B. (Lex propria Pii XII). Ad can. 519 explicatur clausula « ad suam conscientiae quietem »; ad can. 522 illud « confessarium adeat ». Recte inter-

pretatur B. illum « quemlibet » confessarium in can. 523; necnon can. 530 circa manifestationem conscientiae. Item consideratur « vocatio religiosa ». Ad can. 542 respondit quaestioni: « quid faciendum, si quis spretis vel non servatis canonum praescriptis, admissus fuerit in novitiatum? ». Vox « Collegium » in can. 544 pressius determinatur et in can. 555 regimen secundi novitiatus. B. non transit difficultatem supputandi dies, de quibus in § § 1. 2. can. 556, neque tacet de professione in articulo mortis. Ad can. 572 § 1. n. 4 B. notat: « Cum legislator utatur verbo passivo *emittatur*, parum interesse videtur, num haec vitia afficiant actum professionis vel admittentis ». Ad can. 574 § 1 illustrat illud « ultra aliud triennium », necnon statum iuridicum religiosorum a votis temporaneis in amentiam incidentium et religiosorum servitio militari addictorum. Quaenam est vis illius termini: « renovationi votorum nulla est interponenda mora »? Uberius explicatur obiectum trium votorum. Quaenam sunt bona, quae solemniter professurus *actu* habet? Can. 582 exemplis illustratur. Commercium epistolare iuste determinatur ad can. 611. Fusius, ut decet, tractantur exemptio Regularium et casus ab ipsa excepti; tandem Instituta saecularia. Circa simoniam exhibetur uberior interpretatio, etiam circa causas percipiendi temporale occasione rei spiritalis. Insuper bene proponuntur doctrina de ministro extraordinario Confirmationis, indultum altaris portatilis, celebratio missae extra ecclesiam, C. « Christus Dominus ». Quinam sunt filii acatholicorum in can. 587 n. 1? B. explicat ulterius essentiam in ordinatione diaconi, presbyteri, episcopi. Loquendo de finibus matrimonii a quibusdam auctoribus haud recte expositio commemorat etiam sensum amplexus reservati. Accuratam interpretationem invenit can. 1020 § 3. Inter octo puncta velim citare n. 7 huius tenoris: « *Legitimae delegationis* defectus in sacerdote assistente quandoque invenitur causa nullitatis in casibus ad S. Cong. delatis. Probe igitur addiscant oportet sacerdotes statuta can. 1094-1103, quod refert ad validam et licitam assistentiam, necnon relativas responsiones Com. Interp. infra sub relatis canonibus allatas ». Dicta illustrantur sequenti casu: S. R. R. in Sententia 22. febr. 1956 exhibet parochum, qui cum obstinata contumacia sese credidit tamquam parochus sponsae competentem ad delegationem matrimonialem ubique terrarum dandam iuxta Decretum Tridentinum « Tametsi ». Omni animadversione dignae sunt notae de cautionibus matrimonialibus, de Decreto S. C. S. O. de 14. I. 1932, de privilegio Petrino. B. commemorat etiam sepulturam infantis non baptizati, missam dialogatam et divulgationem liturgiae radiophonii explicatque leges de musica sacra, de textu liturgico, de instrumen- imprimis de custodia et asservatione Eucharistiae. Speciali diligentia tractantur conventus ad procurandam omnium christianorum unitatem. Invenies etiam quaestionem de seminariis curae religiosorum concreditis, de coeducatione et initiatione sexuali, de eugenica, de lectione librorum, de causis piis, de manu mortua, de dominio, de bona fide. de pia voluntate, de competentia S. C. S. O. et de Sacr. in causis ma-

trimonialibus. In Schemate clare exponitur can. 2209 circa imputabilitatem actus seu delicti. B. tangit etiam quaestionem, utrum obligatio exsequendi mandata (can. 2252) urgeat sub poena reincidentiae, aliamque huius tenoris: « Docent complures auctores, aliis contradicentibus, confessarium vi praesentis canonis in casu urgentiori absolvere posse quoque a censura *ab homine quae sit latae sententiae* (cf. Raus, Theol.-prakt. Quartal., 1930, p. 585 sqq.). Quae opinio nobis non probatur, sed, stante illa controversia et donec decisio rem dirimat authentice, confessarius, fretus canone 209, practice suo iure uti potest in favorem poenitentis ». Fuse haec quaestio evolvitur a M. Zalba S. I. in « Periodica de re morali, canonica, liturgica » vol. 42 (1953) p. 288-306; in vol. 43 (1954) p. 161-171 tractatur « de vi canonis 2254 § 1 in ordine ad absolvendum a peccatis ratione sui reservatis ». De contraria opinione quoad censuram ab homine confer Eichmann-Moersdorf, Lehrbuch des Kirchenrechts, ed. 7. vol. III p. 376 nota 1. Explicando can. 2314 B. disserit B. de conversione et receptione acatholicorum et de russis dissidentibus ad catholicam fidem convertentibus; insuper ad can. 2335 est sermo de communismo, de societatibus sine censura proscriptis, suspectis et neutralibus. Absolutio complicis respicitur etiam sub ratione controversiae circa iurisdictionem. Breviter fit sermo de crimine pessimo. Tandem illud « *manet* excommunicatio » (can. 2369) B. sic explicat: « haec censura est *certo* latae sententiae ». Moersdorf, die Rechtssprache des C. I. C. p. 380 censet: « Bekannt ist der strittige c. 2369 § 1: « confessarium... manet excommunicatio ». Hier stehet manere (Köstler 218) das sonstmeist im Sinne von bleiben gebraucht und zur Bezeichnung einer Strafe l. s. mit den Zusätzen ipso facto (cc. 2387, 2393, 2394 n. 3 2397) oder ipso iure (c. 2398) versehen wird, in der seltenen Bedeutung « erwarten, bevorstehen, treffen ». Dies allein rechtfertig allerdings nicht die herrschende Auslegung (Vgl. Eichmann II 437; ders., Strafrecht 204 und Coronata IV n. 2149 p. 603 sowie n. 1690 p. 79 mit a. 1.), dass der Ausdruck zur Bezeichnung einer Strafe l. s. hinreiche; denn bei derselben Wortbedeutung findet sich in c. 2347 n. 3 zu excommunicatio der wesentliche Zusatz l. s. Man müsste also c. 2369 § 1 eine genauere Fassung geben, besonders da dieses Vergehen früher nicht mit einer Strafe l. s. bedorht war ». Moersdorf-Eichmann, l. c. p. 458 sumit illud « manet » pro censura l. s. (« ohne weiteres »).

Opus modo recensitum non satis commendari poterit; nam auctor splendide id obtinuit, quod in Praefatione obtinendum promiserat: « succintum commentarium, quod vim et genuinum sensum legis perspicue ob oculos poneret ».

D. G. Oesterle

DOCUMENTA
ET
CHRONICA

DOCUMENTA

ALLOCUTIO

Iis qui interfuerunt Conventui sexto nationali e Clero Italiae, per hebdomadam Romae indicto, de hodiernis postulatis ac normis ad Pastorale Ministerium aptius provehendum. *

Di gran cuore vi diamo il benvenuto, Venerabili Fratelli e diletti figli partecipanti alla « VI Settimana Nazionale di Aggiornamento Pastorale » nella eterna Città. Sappiamo che con la scelta di Roma a sede delle vostre riunioni in quest'anno, il vostro Centro ha voluto render filiale omaggio alla Nostra persona, e insieme testimoniare il suo sviluppo ed affermare la volontà di estenderne l'influsso il più largamente possibile. E veramente è proprio di quest'alma Mater, Roma, il comunicare alle opere, anche se sorte in lontane regioni, purchè ad essa congiunte nel medesimo spirito, quasi il crisma della universalità, in contraccambio del pregio che da quelle le proviene.

Nelle informazioni, che avete avuto la bontà d'inviarCi, si ricorda che il « Centro di Orientamento Pastorale » è sorto in Milano nel settembre 1953, in seno all'Istituto di Studi Superiori « Didascaleion ». Mentre esso era dapprima ristretto alla diocesi Ambrosiana, si sentì ben presto la necessità di diffonderlo in tutta l'Italia con un triplice scopo: 1° aggiornare il Clero e il Laicato cattolico sui movimenti tendenti a far fiorire la vita cristiana, illuminandone il profondo valore alla luce della teologia dogmatica e morale, della sociologia e della storia; 2° studiare gl'impegni direttivi, che si devono assumere, e i mezzi pratici, che si devono usare, per una azione luminosa e feconda; 3° attuare una intesa di coordinamento dell'azione pastorale, che pone in Italia problemi di carattere generale Il Centro medesimo ha un organo trimestrale « Orientamenti Pastorali », che si propone l'ufficio di « orientare — aggiornare — coordinare », e promuovere soprattutto le « Settimane nazionali di Aggiornamento Pastorale », delle quali la presente, che è la sesta, ha per tema fondamentale « La parola di Dio nella comunità cristiana »; tema che si suddivide alla sua volta in molteplici argomenti speciali. E' una ricchezza, vorremmo quasi dire sovrabbondante, di questioni e di problemi, che vengono trattati ognuno da insigni relatori; problemi che toccano i punti vitali dell'apostolato e la cui retta soluzione accrescerà il tradizionale vigore a quello strumento primordiale della fede che è la predicazione.

Accogliendo la vostra domanda, Ci proponiamo di aggiungere qualche pensiero a tante vostre dotte e sagge dissertazioni e lezioni sulla Parola di Dio nell'ufficio pastorale, e come mezzo per la rinascita cri-

* Habita die 14 Septembris mensis a. 1956.

stiana del mondo e per la salvezza dell'anima nell'uomo moderno; l'uomo moderno — vogliamo dire — intimamente assetato della Parola di Dio e della sua verità. Quando questa genuina risuoni, sembra che il sibilo delle macchine, le grida delle folle, i gemiti del dolore, l'urlo delle passioni, sospendano improvvisamente l'assordante frastuono, e nello spirito, circondato da una salutare zona di silenzio, scorra il rivolo ristoratore della speranza.

Noi quindi non intendiamo di esporre dinanzi a voi come l'annunzio della Parola di Dio debba essere in concreto presentato e adattato alle condizioni di luogo, di tempo e di persone, per rispetto ai problemi moderni, alla moderna mentalità, ai moderni sentimenti, al linguaggio moderno. Ma al di sopra di tutto ciò — o meglio, come suo fondamento, — vi è un altro elemento, più profondo, che troviamo anche nelle vostre linee direttrici, sul quale vorremmo richiamare la vostra attenzione. Noi vediamo in esso non soltanto un ultimo orientamento, ma anche, per il sacerdote come per il laico, un'intima liberazione, un'acquietamento, una sicurezza, una difesa contro la tiepidezza e la esteriorità. Il Signore stesso ha predicato la parola di Dio; a sua imitazione la predica la Chiesa attraverso i secoli. Perciò prendiamo come oggetto del Nostro odierno discorso: la predicazione della parola di Dio nella comunità ha la sua misura e il suo ultimo orientamento 1° nella predicazione di Cristo e 2° in quella della Chiesa.

I - Predicazione del Signore e predicazione del Sacerdote.

Quando noi, rivivendo in pia meditazione il Vangelo, ci poniamo con lo spirito tra la folla assiepata intorno al divino Maestro nell'atto di annunziare la buona Novella, ci colpisce innanzi tutto come Egli sappia trasfondere nella parola la sua anima, insieme con la inesauribile ricchezza della sua sapienza e del suo amore, di modo che la parola stessa diviene specchio fedele della sua Persona. La predicazione dunque di Cristo ha un carattere personale, d'immensa efficacia.

1. *Il carattere personale della predicazione del Signore.*

Questo carattere personale mostra, primieramente, una assoluta chiarezza e sicurezza della mente e una assoluta determinazione e fermezza della volontà. Il Signore si dà tutto e intieramente all'annunzio della Parola di Dio. « *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misît me... Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit; qui autem quaerit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, et iniustitia in illo non est* » [1].

Un secondo segno caratteristico è la sua dedizione al servizio delle anime. « *Misereor super turbam* »! [2]. Significantissima è a tale riguardo la parola del buon Pastore [3]. « *Ego sum pastor bonus. Bonus*

[1] Io. 7, 16, 18.
[2] Marc. 8, 2.
[3] Io. 10, 1-21.

pastor animam suam dat pro ovibus suis ». — Egli si donava agli uomini e alle anime in sempre rinnovata predicazione della Parola di Dio: portandosi di luogo in luogo, di città in città [4], o rimanendo nello stesso luogo [5], nelle sinagoghe [6], nel tempio, sulle sponde del lago [7] o in una barca sul mare [8], sui monti [9]; egli guariva i malati, risuscitava i morti, accumulava miracoli sopra miracoli, affinchè gli uomini credessero alla sua parola, e perchè così il seme della parola di Dio mettesse radici nelle loro anime e producesse frutto [10]. Dalle labbra del Signore sgorgavano le parabole e le similitudini, con le quali egli rivestiva la parola di Dio, affinchè rimanesse scolpita nel cuore degli uomini e li inducesse alla riflessione. In tal guisa l'annunzio della Parola di Dio era mosso nel Signore da un immenso, instancabile, operoso amore verso le anime.

Come terzo elemento caratteristico troviamo una calma di giudizio e un'ultima indipendenza dal gradimento come dallo scontento, dal favore come dal disfavore degli uomini. — Con la sua aperta riprovazione della vanagloria e dell'ambizione degli Scribi e dei Farisei egli mostrava il suo pieno distacco dal plauso del popolo e delle classi dirigenti [11]. La moltitudine, veduto il prodigio operato da Gesù, voleva farlo re; ma egli fuggì e si ritirò solo sul monte [12]. Egli sperimentò l'Osanna del solenne ingresso e il Crucifige della Passione con piena superiorità di spirito; non si lasciò nè trasportare dall'uno nè spaventare dall'altro [13].

Questi brevi accenni sul carattere personale del Redentore nell'annunzio della Parola di Dio siano al sacerdote di ammaestramento per la sua disposizione interna nella predicazione della stessa Parola!

2. *La predicazione del Signore per rispetto al suo contenuto.*

Rivolgete ora un rapido sguardo al contenuto della predicazione del Signore, affine di farne propri in voi i caratteri e l'oggetto, sicchè la vostra parola sia degna di fedeli ambasciatori di Cristo.

a) Agli ascoltatori il Signore anzi tutto inculcava, come disposizione di animo e di cuore per ricevere fruttuosamente il suo insegnamento, la serietà morale, con cui l'uomo deve accostarsi alla rivelazione e alle richieste divine, che non ammettono leggerezza e super-

---

[4] Luc. 4, 42-43.
[5] Marc. 8. 2.
[6] Luc. 4, 15.
[7] Luc. 5, 1.
[8] Marc. 4, 1.
[9] Matth. 5, 1 : 15, 29.
[10] Cfr. Luc. 8. 11-15.
[11] Matth. 23, 1-13.
[12] Io. 6. 15.
